


CASTRUGCHI
BON
COMMENTARIORU

BELL
LIBR.


PARE



LUGDUNI BATA
EDITION PRIMA

1800

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18





(2)

(2)

CASTRUCCII
BONAMICI
COMMENTARIORUM

D E
BELLO ITALICO
LIBRI III. PARS II.



LUGDUNI BATAVORUM.

EDITION PRIMA.

CL CIC LI.



CASTRUCCII BONAMICI
COMMENTARIORUM
LIBRI III. PARS II.



EN UÆ plebs partâ victoriâ ferox Academiam Jesuitarum, quæ est in Balbâ viâ, sedem concilio suo delegerat. Cujuscumque loci homines arma ferre, pro portis, stationibusque excubare cogebat, neque satis habere videbatur expulisse Urbe Austriacos, sed arcem evestigio recipere Savonensem contendebat; ad eamque rem,

Pars II. A. ij. quan-

4 DE BELLO ITALICO,

quantum gratia, auctoritate, pecunia valebat, nobilitas nitebatur, exemploque praebat. Comparatis cibariis, & aliquot premissis Reipublicae militibus, signum datur profectionis. Armata celeriter magna convenit multitudo, fiduciaeque plena proficiscitur. Hic cognosci licuit, quam vana sit animorum alacritas nullo certo duce, atque imperio firmata. Nam portis egressa plebs, cum commeatus quosdam, impedimentaque Austriacorum offendisset, ad ea diripienda statim dilapsa est, neque optimatum precibus retineri potuit: illorum esse praedam, atque illis reservari quaecumque Austriaci reliquissent: liberatae patriae gloriam ne tenuissimae modo spe praedae contaminarent. Non homines laus in soldatis, tabernisque natos, non, soluto legum metu, arrogantes pudor coeret.

LIBER TERTIUS.

cet. Ipsa oberat opulentiorum liberalitas, qui plebem in captandisnummis occupatam segniorem largitione reddebat. Invitati praedâ longius procedunt populares, aliique aliam in partem dissipati feruntur; atque extantâ properantiâ rem negligunt, quæ, perterritis Genuensium adventu Subalpinis, qui pauci erant, facile perfecta maximæ fuisset ad omne bellum opportunitatis. Eò acrius, priusquam auxilia concurrent, oppugnant Subalpini, alias evocant copias, alias proferunt munitiones, vexare arcem telis, atque ollis incendiariis diem, noctemque non desistunt. Ac tandem, qui oppugnabantur, dejectis propugnaculis, labefactâ magnâ parte muri, adacto cuniculo, qui arcem subruebat, atque omnibus desperatis auxiliis, se dedere coguntur; cum eorum virtus,

6 DE BELLO ITALICO ,

tus , Adurniique Præfecti constancia ab ipsis esset hostium ducibus collaudata .

Auditis , quæ Genuæ acciderant , varius per universam Europam motus fuit animorum . Aliis præclarum , veterique Româ dignum , aliis periculorum , nonnullis vix credibile videbatur . Fractas Austriacorum spes , irritos in Italâ conatus gaudebant Borbonii Reges , imprimisque Galliæ Rex , cuius infinitibus hostes versabantur , certosque miserat homines Genuam , qui , quid rei esset , cognoscerent , sibique renunciarent . Regina contrâ Ungariæ gravi commota casu Josephum Spinulam Legatum Reipublicæ finibus excedere suis , & quæ essent in suo regno bona Genuensium publicari , obfidesque Mediolani in carcerem condidi , & redintegrari statim bellum jubarat .

Botta

LIBER TERTIUS .

7

Botta perfidiam Genuensium ; qui neque colloquii , neque induciorum jura servarint , suamque in illos indulgentiam prædicat , neque interim popularium animos literis , nunciisque tentare desistit . Deduci præsidiis , evocarique totâ Cisalpinâ Galliâ milites , atque ad se adduci jubet . Omnibus circa locis pecunias imperat ; quos ad eos , qui erant e nobilitate Genuensi , agros pertinere cognoscit , illos habet prædæ loco , ut maximè irasci nobilitati videatur . Qui Genuenses , Liguresque arma posuerint , iis veniam pollicetur , reliquis malum denunciat . Quibus rebus confectis , levis armaturæ pedites , quorum magnum habebat numerum , præmittit , eisque , ut Ligusticas iterum fauces transcedant , imperat , injiciendique terroris causâ , omnia cædibus , incendiisque

per-

8 DE BELLO ITALICO,

permisceant. Illi primo impetu Rufinone, Campoque frigido potiuntur, difficilesque alios, atque opportunos in illis montibus aditus occupant. Cum longius progrederi vellent, ab Hieronymo Balbo Equite Jerosolymitano, qui eò, coactâ Ligurum manu, advolarat, repulsi sunt; & cum arcem Masoniam ad ditionem minis compellere tentassent, defendantem Anfrano Saulio, non potuerunt.

Genuenses sua apud Langenses præsidia posuerant. Hostes subnubilam nocti tempestatem primâ luce ad Genuensium stationes, triplici instructâ acie, improvisò accedunt, Liguresque subitâ re, illatisque ignibus perterritos in fugam conjiciunt, Pontemque decimum occupant, ipsumque expugnare Langensium pagum summâ vi conantur. At Gaspar Ba-

sodon-

LIBER TERTIUS.

9

sodonnius, qui Porciferæ valli prærat, eâ re nunciata, militum, Ligurumque contractas copias ad Pontemdecimum ducit, Augustinumque Pinellum, qui illi in itinere occurrerat, adoriri a latere hostes jubet. Impetu facto, multis interfectis, loco hostes pelluntur, depulsoisque ad eorum usque munitiones Genuenses insequuntur, atque ad Langensium deinde pagum conversi, liberatis suis, fugatis hostibus, in sua se præsidia recipiunt.

Interea Genuæ Senatus, cum, acceptâ ignominiâ & dilatâ ultione, iratores reverti Austriacos videret, pro magnitudine periculi defensionem parabat. Franciscum Auriam proficiisci in Britanniam jubet, qui cum Rege agat, & in Genuensi tumultu nihil publico factum consilio, populumque

Pars II.

B

li-

10 DE BELLO ITALICO,

licentiâ militum , recordibusque du-
cum minis efferatum ad vim descen-
disse demonstret , atque omnibus , qui-
bus possit , modis abalienatam male-
volorum sermonibus Regis voluntatem
ad pristinum erga Rempublicam stu-
dium revocare conetur . His acceptis
Auria mandatis proficiscitur , commo-
dâque per summam hyemem naviga-
tione usus in Galliam exit Narbo-
nensem , atque ex itinere Belinsula-
num æstuantem dubitatione propter
varios , qui de rebus Genuensisibus ef-
fluebant , rumores ad submittenda au-
xilia Senatus nomine confirmavit . Lu-
tetiam cum venisset , cognoscit ibi ,
ut in Britanniam transmitteret , impe-
trari a Britanniæ Rege non potuisse ,
quod gratissimum sibi quidem Ge-
nuensis Legati adventum fore , sed ve-
rei diceret Rex , ne daret ea res an-
sam;

LIBER TERTIUS.

11

sam Austriacis ad suspicandum . Quo-
cognito Senatus optimum factu cen-
suit , Auriam in Galliâ remanere , fa-
ciles qui apud Gallorum Principes ,
Regemque ipsum Galliæ aditus habe-
ret . Legatis item aliis scriptum ab
Senatu est , ut Borbonios orarent Re-
ges , atque adhortarentur , ut celer-
rimè Reipublicæ subvenirent , quos
tamen ipsâ temporum inclinatione , re-
lictæque societatis pudore , & com-
munis causæ curâ incitari existimabat :
plurimùmque ei rei exemplò profuif-
fe certum est Joannem-Franciscum
Pallavicinum , qui Reipublicæ apud
Galliæ Regem Legatus erat , & sin-
gulari fidei solertiæque , existimatione
florebat . Muros Urbis aut vetustate
parum utiles ad præsentis usum belli ,
aut diuturnâ pace neglectos refici , &
communiri jubebat . Idoneos deligebat

Pars II.

B ij homi-

homines, qui cives hortarentur omnes, ut suæ, & communis salutis causâ arma sumerent, brevique tempore tota est regionatim decuriata Civitas, nobilisque ipsi potentiores, omni in tantâ perturbatione sublato dignitatis discrime, promiscuè describebantur. Nautas, mercatoresque in summâ caritate, quam prædatoria classis, & belli metus adauxerat, præmiis, atque immunitatibus alliciebat, ut essent, qui Britannos fallere, frumentumque in Urbem importare auderent. Pecunia deerat, hærebantque in eâ expediendâ Patres vehementer, cum & cives, universis imperatis pecuniis, ad tributi nomen obsurdescerent quotidie magis, &, Georgianâ exhaustâ mensâ, fides concidere publica videretur. Tum Brignolius Dux, de Senatus sententiâ, cum esset eâ de causâ Concilium

Mi-

Minus coactum: Non rectè consuli posse Reipublicæ, dixit, cum privati ad consulendum sensus afferuntur. Si Patriæ salutem, si ejus conservatæ gloriam quærerent, ingressi Concilium oblitiscerentur omnium suorum, cum abjicerent rei familiaris. Maximas a majoribus ædificatas, ornatasque classes, maximos esse factos privatim sumptus, ut transmarinas imperio Genuensi provincias adjungerent: quid posteri dubitarent, paululum conferre argenti, non ut augeantur opes Reipublicæ, sed ne deleatur nomen? non ut hostem in longinquò Oriente scrutentur, sed ut a patriæ mœnibus, tectisque repellant? nequicquam privata servari, si publica conciderint: eam esse Rerumpublicarum rationem, ut bona, malaque earum ad omnes cives pertineant: oportere eos, qui Rei-

Reipublicæ præsunt, omnia, quæ gerant, non ad propriam utilitatem, sed ad commune bonum conferre; æquissimumque porrò haberi, ut qui reliquis honore, atque opibus antecellunt, amore etiam erga patriam, & liberalitate præstent. Ego equidem, inquit, ad hunc principem locum, inclinatâ belli fortunâ, cum vocarer, non eram P. C. tam ignarus rerum, ut multa Reipublicæ mala impendere posse, titubantibus sociis, auctis hostium copiis, non præviderem, eumque me fortasse futurum Ducem intelligebam, cui vigilandum præ cæteris, nullique rei pro Republicâ parcendum esset. Sed recreabat me præstantissima Senatus sapientia, ex cuius auctoritate ordinis Rempublicam gerere debebam, & tantum me, amplissimo præfertim accepto beneficio, patriæ

triæ debere existimabam, ut vitam, nedum pecuniam, ejus salutis causâ profundere jucundissimum ducerem. Hoc quidem tempore, quanquam & tempestas opinione meâ major coorta est, & omnia in tantis Reipublicæ te-nebris, metuenda sunt, tamen eo sum animo P. C. ut neque deesse patriæ, neque superesse velim. Hâc Ducis oratione, & quod extrâ ordinem habebatur (näm moribus Genuensium Duci verba publicè facere, nisi ex S. C. non licet) & quod maximum sui, optimèque cælati argenti pondus ad Monetam deferri ipse jussicerat, & voluntaria statim facta erat omnium Senatorum collatio, tanta innata est alacritas, ut adjuvandæ Reipublicæ certamen excitaret omnium animos, & pro se quisque factum, signatumque argentum contribuerent; Matronæque

næque ipsæ opulentæ, atque optimates, ne in amore patriæ suis cessisse viris viderentur, auribus gemmas, collo monilia detraherent, atque in publicum conferrent. Insignis cum primis extitit Augustini Gavotti, Josephique Duratii liberalitas, quorum alter iv. millia, xv. alter millia aureorum Reipublicæ donavit.

At plebs immoderatae libertatis vitio insolescet more suo, latrociniandique cupiditati defensionem patriæ, atque Austriacorum obtendebat odium. Simulans enim occultari bona hostium, domos scrutabatur, & multis se rebus pro patriâ pugnantem egere dictitans pecuniam precibus flagitabat, quibus contradici non poterat. Erant exploratores hostium, erant improbi, & scelerati homines, qui, turbatis rebus, seditionis, & prædæ cau-

causam quererent. Silebant leges: tacitus obsidebat curiam Senatus, neque illud esse tempus animadversionis existimabat. His malis hæc subsidia succurrebant, quominus omnis immutaretur status Reipublicæ, quod & honestiores populares seditionis motibus adversabantur, optimèque de Republicâ sentiebant, & plebs partim illustrium familiarum splendorem, atque opes assueta mirari sui gregis fordes aspernabatur, partim lucro, prædæque addicta nihil de regno cogitabat; & mitissimi etiam, optimèque nobilium imperii memor, comparatione deterrimâ præsentem tumultum fastidiebat; ejusque erant duces adeò rudes, ut regerentur magis plebis furore, quam ipsi regerent plebem; apud eamque suspicione fraudis, & non æquabili prædæ partitione offenderant.

18 DE BELLO ITALICO,

Itaque paucis diebus corruerant, magnoque erant odio omnibus. Adjuvabant rem proclinatam, qui vel a nobilitate submissi, vel plebejam ipsi per se pertæsi arrogantiam Senatus vigere auctoritatem, &, remotis ducibus, plebis languescere insolentiam cupiebant. Quibus rebus extimulata plebs suapte naturâ mobilis, & temeraria repente adorta est deprimere, quos paulò ante in cœlum extulerat laudibus. Latrones illos, hostes, proditores esse vociferabatur. Comprehensos, atque omni contumeliâ vexatos in Prætorium adduxerat, Senatumque, ut in eos animadverteret, obtestabatur. Illos statim Dux in carcerem duci jubet, & datus pœnas affirmans a præsenti exitio subtrahit; monet deinde, quām potest mitissimè, plebem, ut eorum ignoscat imperitiæ,

qui

LIBER TERTIUS.

19

qui legum, & Republicæ gerendæ ignorantia peccaverint: non posse bene geri Rempublicam imperiis stolidorum. His dictis mitigata dilabitur plebs, Ducus mansuetudinem, & æquitatem collaudat. Illos postea Senatus, repetitis rebus, non modò inquisit simâ invidiâ liberavit, sed etiam honore habito declaravit, nihil esse ab iis unquam de Republicâ nisi optimè cogitatum. At plebs curarum, turbarumque tædio petit ab Senatu, ut alios sibi det duces, qui Concilio suo præsint, atque intersint. Itaque ex auctoritate Senatus delecti sunt nobiles iv. Joannes-Baptista Grimaldus, qui de omnibus rebus ad concionem referre consueverat, & Joannes Scallea, Jacobus Laumellinus, Carolus Furnarius. Horum facilitate, solertiæ que permulcebatur multitudo; his

Pars II.

C ii

aucto-

auctořibus controversiæ minuebantur, non disentiente Senatu, cui suam obtinere auctoritatem nondum maturum videbatur. Erat plebs suorum magistratum imagine alacrior ad defendendam Rempublicam; & cum nonnulla periculosissimo tempore fieri oporteret, quæ abhorrent a moribus, videbantur ea melius in plebis temeritate, quam in amplissimi ordinis consilio delitescere: plurimum etiam valebat in vulgus opinio benignitatis, quam erga populum Dux utebatur, qui nullius stultitiam, atque humilitatem fastidiebat, interdiu, noctuque faciebat omnibus conveniendi sui potestatem. His rationibus manebat domi concordia, commodè administrabatur Respublica, cum subita seditio oborta est.

Postremi quidam projectâ audaciâ

ciam homines fæcem multitudinis ex facinorosis, atque egentibus congregatam in Senatum, & nobilitatem concitare seditionis vocibus cœperunt: immortuam nobilium tyramnidem versari diutiū in Republicâ non esse ferdum: illos primū auctores belli, proditâ plebe, separatim sibi consuluisse; illos nunc de ejus cæde cum Austriacis consentire: &, cum forte nunciaretur, venire Austriacos, conclamatumque propterea ad arma esset, unus ex iis præcipiti furore inflammatus: quid vos, inquit, Austriacos persequimini, cum domesticum in Urbe hostem habeatis? delete Senatum, qui ut sibi, suisque nobilibus provideat, vestrum cum Austriacis exitium patet est. Cur enim arma capere videntur? cur publica occluduntur armamentaria? nempe id agitur, nisi præcave-

22 DE BELLO ITALICO,

cavemus, ut omnes, qui nobiles non sint, ex insidiis opprimantur. Sed præda ostenditur opima, præclara datur miseris occasio ulciscendi, & ditandi se. Audeatis modò inane nobilitatis nomen, vanissimaque magistratum insignia contemnere, vestra sunt, o audaces & fortes viri, quæcumque illi per summam ignaviam possident. Continuò prædarum spe, & impudenti inducta mendacio magna sordidissimæ plebis multitudo ad Prætorium convolat, & per causam quærendorum armorum irrumpere conatur. Cum ab armatis excubitoribus repelleretur, tormentum, quod forte advehebatur, in foro novo ante fores Prætorii ingenti concursu, fremituque, & minis constituit. Tum Jacobus Laumellinus populari quâdam ratione plebi gratus in medium irruens

tur-

LIBER TERTIUS.

23

turbam: occasu-ne Urbis vultis finiri Rempublicam? vos-ne hujus patriæ alumni, & verè Genuenses Ducis excindetis, Senatusque sedem, quorum virtute, & consilio vestra adhuc libertas, vestra omnium stat salus? non herculè illi nobis infestissimi Austriaci audeant. Cum nihil remissius instarent, jamque ignem tormento adjicerent, opposito Laumellinus corpore, agite, inquit, explete iram, meā satiamini cæde: minori flagitio interficietis civem, quam totius Civitatis præsidium evertitis; & ego oportuñā morte sublatus tantum scelus non videbo. Maximo viri animo obstupescit multitudo. Paulatim incipit emergere pœnitentia, redire obsequium, & fractus denique plebis furor eadem, quam exarserat, celeritate, extinctus est. Seditionis duces paulò post

24 DE BELLO ITALICO,

post comprehensi, necatique furiosissimæ temeritatis poenas dederunt: & Concilium Populi, reviviscente sensim Senatus auctoritate paulatim consenserere cœpit, & cum nihil fuit causæ quarè haberetur, atque hostes, relictâ obsidione, discesserunt, tunc demum esse omnino desit.

Dum hæc in Liguriâ geruntur, Brounius captis Lerinâ, Planasiâque insulis, Foroque occupato Vocontio, & præmissis, qui ad Argentium usque flumen progressi terrori essent hostibus, Antipolim ipse, perspecto urbis situ, & Britannis adjuvantibus, terrâ, marique oppugnare instituit. Sed defecerat Genua. Augebantur Gallis copiæ: lx. a Belgio cohortes advenerant, cumque iis Hispani iterum conjungi dicebantur. Nam Gallia Rex, Ferdinando Regi ut satisficeret,

LIBER TERTIUS.

25

ceret, Philippum Argensonium Camposiani auctorem colloquii a Conciolio suo removerat, Malibojumque ab Italico exercitu revocaverat; quorum in locum domi Marchionem Puisiensem, summâ virum probitatem, & prudentiâ præstantem, apud exercitum autem in Galliâ Narbonensi Duce Bellinsulanum, eundemque Gallicæ militiæ Magistrum suffecerat. Rex verò Ferdinandus, si Austriacis in Italiâ Borbonii succubuissent, Carolo Fratri, Neapolique timebat; iisque, quorum Ferdinandus consilio urebatur (ut timida est, longèque nimium prospiciens ambitio) vereri cœperant, si domum, amissâ Neapoli, Hispani Regni hæres, regnandique peritus Carolus rediret, ne fraterno amore, religiique nominis auctoritate apud Fratrem Ferdinandum ille plurimum, ipsi

Pars II.

D

mini-

26 DE BELLO ITALICO,

minimūm valerent: atque ita commutato consilio, Italicum bellum sua-debant, eratque adeò eorum suāsione Ferdinandi immutata voluntas, ut præcipitis eum receptus, consiliique pœniteret relinquendæ Italiam. Itaque Borbonii, auctis, conjunctisque copiis, exercitus eduxerant suos. Quorum adventu perterritus Brounius, simul reputans, Genuensis spe commeatus amissā, neque Antipolim oppugnari, neque diutius tolerari exercitum in locis minimè frumentariis posse, consilium commutat, oppugnatione desistit, exercitum contrahit, in Italiam redit. Regredientem illum usque ad Varum flumen Borbonii insequuntur; quin longius procederent, hyems prohibuit, & militum labor, quos tot præliis, atque itineribus defatigatos oportebat aliquandò in hiberna-

dedu-

LIBER TERTIUS.

27
deducere. Idem Sardiniæ Rex, idem Brounius facit, collocatoque in hibernis exercitu, Sardiniæ Rex Augustam Taurinorum revertitur, Brounius Mediolanum proficiscitur.

Botta deponere jussus imperium, Piccolomineo exercitum, atque is paullò post Sculemburgio tradiderat. Brouniani exercitus pars in Ligures deducebatur. Legionarii, ferentariique ex eo circiter cc. progressi villam Radianam, quæ non longè est a capite fluminis Urbis, occupaverant, aggeremque ante illam præduxerant. Quâre nunciata, Eques Hieronymus Balbus mittit eò confestim legionarios Genuenses lxxx. & voluntariorum militum manum, qui, cum ad hostes venissent, superatâ munitione, scalis admotis in ipsam per fenestras villam irruperunt. Illi Genuensium

Pars II.

Dij op-

oppressi audaciâ, nonnullis amissis,
interclusâ fugâ, projectis armis dedi-
derunt se se.

Interim Rex Neapolis de Ge-
nuensi tumultu certior factus, & au-
toritate permotus Marchionis Folia-
nensis nobilissimi hominis, qui erat
apud eum non tam dignitate, quam
fide, solertiaque, & amore in Regem
singulari primus, actuariis suis, &
quo maximè indigebant, frumento,
commeatuque reliquo juvari Genuen-
ses jubet. Genuensibus item, quo es-
sent ad defendendam patriam paratio-
res, iis, qui in regno suo possessio-
nes habebant, legeque eâ tenebantur,
quæ est de absentibus, vectigal in
annum remittit. Rex autem Galliæ
Hispaniæ Regem per literas adhorta-
batur diligentissimas, ut Genuensibus
quamprimum subveniret: pertinere id
ad:

ad communem Borboniorum causam.
Neque ipse pecuniâ, auxiliisque dee-
rat, Bellinsulanoque mandaverat, ut
de exercitu suo idoneam nactus tem-
pestatem vi. hominum millia Genuam
celerrimè submitteret.

Jamque octo minores ex eo nu-
mero duces advenerant, atque in his
architecti militares duo, qui duode-
cies HS. attulerunt, &, quam prom-
pto, excellentique esset Rex in Rem-
publicam animo, Genuensibus expo-
suerunt, magnasque Gallorum copias
subsidio statim venturas confirmarunt.
Tanta erat Gallici subsidii expectatio,
ut ad eos, cum exscendissent, vulgus
conflueret maximâ occurrentium, pro-
sequentiumque alacritate, perindè ac
si libertas, & salus Civitatis adveni-
set. Sed ab eorum adventu quinque,
& quadraginta ipsis erant dies, hyems-

que:

que præcipitabat, & jam, majoribus coactis copiis, hostes erumpabant, neque e Galliâ naves, auxiliaque veniebant, angebanturque singularum horarum expectatione Genuenses, &, quæ natura sollicitudinis est, quod sperabant, quod summè factum cupiebant, idipsum ne fieret, magnoperè metuebant. Miserat Senatus Augustinum Laumellinum Gallicâ functum legatione, qui Philippum Hispani Regis Fr., Borboniosque in Galliâ Narbonensi imperatores conveniret, eisque Civitatis spem, metum, periculum ostenderet: defatigatos Genuenses quotidianis propè præliis per quatuor ferè mensis cum ferocissimo hoste solos configere, neque jam, licet animus supersit, vires suppeteret. Accelerarent, raperentque occasionem, quæ in armis plus interdum, quam ratio posset.

Tan-

Tandem Massiliâ, Teloneque commeatus, navesque solverant. Sed is fuit persequentium Britannorum impetus, ut aliæ, undè erant profectæ, referrentur, aliæ idonea ad egredendum loca in Ligustico litore, ad orientem solem quod vergit, Corsicæque portus peterent, nonnullæ etiam ab hostibus caperentur. Quæ verò navis Marchionem Mauriacensem auxiliarium copiarum ducem, militesque una aliquot sustulerat, in altum provecta, & prospero usq; vento Genuam xiv. kal. April. accessit, tardiusque confecto cursu, & quæ deerraverant, & quæ Hispanorum militum partem advehabant, Britannicæque classis metu in Lunensem sese portum introduxerant, eodem postea delatae sunt.

Sculemburgius, hyeme confectâ, cum ipso anni tempore ad bellum ger-

ren-

rendum vocaretur, magnâ difficultate af-
ficiebatur, quâ ratione id administra-
re posset. Nam si hostem assiduis
praeliis conficere vellet, non satis erat
copiarum; si ad oppugnandam Ge-
nuam contenderet, tormenta deerant.
Quod fuerat in exercitu roboris, Gal-
liæ occupandæ Narbonensis consilium,
itus, redditusque copiarum absumpse-
rat, &, cum illata, uti suprà de-
monstravimus, de Placentinâ prædâ
controversia minui non potuisset, ja-
cebant eâ in Urbe multa, & præ-
clara tormenta, quæ Borboniorum
fuerant, quæque magno ad bellum
Genuense usui esse poterant. Cui qui-
dem bello ipse Rex Sardiniae non sa-
tis inservire diligenter videbatur vel
illius prædæ cupiditate abstactus, vel
eo permotus, quòd neque Austriaco-
rum, si Genuam capissent, nimis
val-

valdè augeri in Italiâ potentiam, neque
suum, si auxilia subministrasset, immi-
nui exercitum volebat. Itaque postu-
latis, responsis, colloquiisque rem du-
cebat, eâque de causâ Augustam Tau-
rinorum missus ab Sculemburgio Blon-
chedius fuerat Trib. mil. qui, omisâ
Placentinæ prædæ controversiâ, cum
Rege Sardiniae de tormentis, auxiliis-
que, aliquâ interpositâ ratione, deli-
beraret. Ut autem Regis Sardiniae
animus expugnari posset, tamen erant
propter itinerum angustias durissimæ
commeatum, tormentorumque sub-
vectiones. His tamen difficultatibus
non deterriti Austriaci, atque odio
ducti Genuensium, a quibus se in
Italico primùm, deinde in Gallico
bello impeditos videbant, tot contu-
meliis acceptis, gloriâ rei militaris di-
minutâ, recentes, veteresque injurias

34 DE BELLO ITALICO,

armis persequi properabant, & nondum satis parati ad ipsam Urbem Genuam oppugnandam accedere constituerant.

Ad mare Ligusticum, ipsumque Apennini initium sita est vetustissima Urbs Genua, saxis, scopulisque sublata, quos maris secuti opportunitatem industrii primùm homines incoluerunt, affluenteque mox civium, & divitiarum copiâ, sumptuosis, magnificisque ædificiis exornarunt. Instruetis mari propugnaculis, mœnibusque, veteri, novoque, ut diximus, terrâ muro cingitur. Portum habet ante se in ædificatione, aspectuque Urbis inclusum, projectis in mare molibus, quæ portus ostium efficiunt, emporiique celebritate nobilem, & quantævis clasi satis amplum, ab Africoque, cui primùm vento maximè erat obnoxius,

obje-


LIBER TERTIUS.

35

objectâ nunc immensi operis mole, satis protectum. Quæ pars Urbis in occidentem solem spectat ad Pharum, mirificæ subtractionis turrim in promontorio positam, pertinet; quæ verò in orientem vergit, tumulo terminatur, qui Carinianus dicitur. Ab utrâque parte novus per inæquales, præruptosque colles ducitur murus circiter millia passuum ix. in circuitu patens, atque in angulum ad eum locum coangustatur, cui nomen Spero est: opus certè arte, naturâque, quâ maxime ad occidentem spectat, munitissimum. Duæ duabus ex partibus frequentissimæ valles; duo item sunt flumina, quorum alterum, uti primo libro demonstravimus, Porciferæ valli nomen indidit, ad Arenariumque suburbanum in mare influit, alterum Bisannatæ interfluit vallem, Ferritoræ Pars II.

E ij

que



36] DE BELLO ITALICO,
que appellatur. E regione Carinianâ
suburbanum est Albarense paulò edi-
tiore loco, atque omnium amoenissi-
mo. Huic suburbano, eique Urbis
munitioni, quæ Zerbinus nominatur,
interjecto Feritoris fluminis alveo, fa-
num imminet Mariæ Montanæ, cœ-
nobiumque Minoritarum; neque ita
longè continuatio quædam montium
assurgit, quæ paulatim ad mare de-
labens quarto ab Urbe Genuâ lapide
orientem versùs in vallem desinit,
quam Sturlam vocant. Duo sunt a
Septemtrione pari ferè altitudine, for-
mâque montes, Geminique ideo Fra-
tres appellantur, qui ab angulo novi
muri, Speroneque passus fermè dcccc:
absunt, muniti, & circumcisi admo-
dum, maximâque ad repugnandum,
oppugnandumque opportunitatis; iisque
mediocri diremptus intervallo mons
est

LIBER TERTIUS. 37
est oppositus, qui nomen ab adamante accepit, ad ejusque radices situs est
Turracia vicus, medio ferè inter
utramque vallem spatio. Loca omnia
circa Genuam aspera, rupes præaltae,
itinera ardua, duri homines, nulla
pabuli, nulla frumenti copia, adeo
ut propter inopiam regionis neque
morari diutiùs exercitus, neque pro-
gredi propter iniquitatem facile pos-
sint. Ipsa Urbs magnitudine operum,
firmitate muri, multitudine civium,
atque omni bellico apparatu instructa
longam, & difficilem habet oppugna-
tionem.

Reversus Blonchedius impetrata
ab Rege Sardiniae auxilia, cumque eo,
agente Britannorum Legato, in has
fermè leges transactum esse nunciat:
relictâ Genuâ, Austriaci, Rexque Sar-
diniae partirentur inter se Reipublicæ
impe-

imperium, & quā ad orientem, occidentemque spectat, æqualiter quisque, atque opportunè haberent. Lunensis autem portus Franciso Lotharingio Cæsari, eidemque magno Etruriæ Duci attribueretur, cùm debellatum esset: atque ita Austriaci ne præmiorum belli Genuensis partem Regi denegarent, Rex ut, rejectâ in aliud tempus Placentinæ prædæ controversâ, xii. cohortes, deductaque arce Savonensi tormenta subsidio Austriacis mitteret; idque subsidium celeriter venturum idem Blonchedius confirmat. Quibus rebus cognitis, Sculemburgius, & re frumentariâ præparatâ, pluraque in agmina distributis copiis, quæ esse ad duodeviginti hominum millia dicebantur, Novis noctu proficiscitur.

Occupatis, uti supra cognitum est,

est, Ligusticis a Bottâ faucibus, Austriae, exquisito per exploratores itinere, ex omnibus montium jugis subito se sejiciunt universi, & Porciferam simul vallem, simul Bisamnatem conari obtinere videntur: eodemque tempore Præfctus Britannicæ classis Genuensis portus aditum obsepterat, nullaque a custodiis navium Ligustici litoris loca vacare patiebatur. Præscriptum item erat Vogternio, uti, coactis ex Cisalpinâ Galliâ ii. hominum millibus, in Sergianensem provinciam erumperet, eo consilio, ut, omnibus obsestis viis, intercluso terrâ, marique commeatu, aut fame subacti deditiō nem Genuenses facerent, aut ferro ignique confecti pervicacis furoris pœnam subirent.

At Genuenses naturâ loci, auxiliisque Borboniorum, & veniæ despectatio-

ratione confisi paratissimo erant ad resistendum animo. Sed cum neque ardua, neque munita loca vim hostium undique erumpentium sustinere possent, cumque rei militaris imperiti Ligures exercitatissimis hostibus opponerentur, pedem referre Genuenses coguntur, amissaque Montogio, ad Mariæ Montanæ fanum sese recipiunt: & Porciferani, quanquam acrius Piccolomineo repugnaverant, casam quandam propè Langentium pagum nonnullis levis armaturæ peditibus fortissimè defendantibus; tamen ipsi quoque hostium virtute submoti ab Bolzanetum sese recipere coacti sunt, quo in vicino præsidium erat Gallorum. Scullemburgius, qui in itinere ex equo ceciderat, latusque vehementer offenderat, captis quaquaversùs locis pluribus opportunis, occupato a fronte,

com-

communitoque monte Adamante, & collocato post se Sanctandrænsi castrorum Præfecto, ne intercluderetur, ipse apud Turraciam, idoneo, ut diximus, ad utranque vallem loco, prætorium constituit.

At Mauriacensis Gallorum Præfetus, ubi hostes tam propè ab Urbe constitisse accepit, vel inopiâ consilii perturbatus, vel non satis cognitâ locorum naturâ, simul suis, qui paucissimi erant, atque Urbi præmetuens deduci Bolzaneto præsidium, Geminisque Fratres relinqui, omnesque sub mœnibus copias constitui jubet. Quo facto, qui ad Mariæ Montanæ excubabant, ii etiam sese ad Urbem reperirent. Porciferani autem, et si a Gallis deserti, tamen in tueri Bolzaneti consilio constantissimè permanserunt, quod verebantur, si

Pars II.

F eum

42 DE BELLO ITALICO,

eum Austriaci locum tenuissent, ne liberiūs, vastandi, prædandique causâ sese in vallem effunderent.

Relicto monte Geminorum Fratrum, cedentibus Gallis, cum tota fremeret Civitas, commotus omnium querelis, & Guimontii potissimum, qui erat apud Rempublicam Gallorum Regis Legatus, monitis incitatus Mauriacensis petit eâdem nocte ab Senatu, ut urbanæ militiæ partem Roccæpinio Trib. mil. attribuat, cui mandaverat ipse, ut relictum sine ullâ cunctatione montem reciperet. Cum Galli inconsiderantiam receptus celeritate irruptionis corrigere cuperent, Genuenses, quorum maximè res agebatur, arreptis armis, concurserent, facile, aliquot dejectis Austriacis, qui ex vicino Adamante successerant, Geminorum Fratrum mons. receptoris est, eoque

LIBER TERTIUS.

43

eoque recepto rursùs, qui a Mariæ Montanæ fano profugerant, eodem celeriter redierunt. Montem Senatus firmo præsidio tenendum, additisque operibus muniendum, eique munitioni, qui invicem cum Gallis præfessent, quòque res vocaret, Senatus nomine accurrerent, Joannem-Carolum Pallavicinum, Felicem Balbum, Nicolaum Jovium, Francum Grimaldum designandos censuit, & Jacobum item Grimaldum, atque Ambrosium Centurionem, quorum alter Venetiis, alter e Galliâ, auditio patriæ discrimine, Genuam confestim advolarat: iisque deinde, quoniam pro multitudine rerum gerendarum pauci videbantur, Carolus, & Pasqualis Spinulae, & Franciscus Fransonius ex S. C. adjuncti sunt: cumque ad Scoffaram, qui locus ad Bisannatam vallem

Pars II.

Fij tuen-

tuendam, refrænandosque ab eâ parte hostium impetus peropportunitus erat, magna Ligurum multitudo convenisset, iis qui præcesset, missus est Petrus Canavariorius, de quo ante dictum est.

At Vogternius in Sergianensem provinciam progressus, conventum opidi, atque arcis Praefectum, cum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permovere posset, equites, peditesque suos infesto agmine procedere jussit. Eò Senatus jussu venerat Michael Pincetius. Hic magnâ tumultuariorum militum manu contractâ, Sergianenses confirmat, præsidia in locis, quæ erant hostibus finitima, constituit, ipse cum reliquis copiis ad hostes proficiscitur, acriterque in eos impetu facto, repulit, atque aliquot millia passuum prosecutus consistendi illis facultatem non dedit. Quo per motus

motus incommodo Vogternius, cum omnem adversus se consentire provinciam intelligeret, atque intrare intra præsidia periculosum putaret, infectare, discessit, & Massensem, Lucensemque agrum maximis emensis itineribus, Apenninumque transgressus sese ad Sculemburgium propè Genuam recepit.

Sculemburgius, cum denunciations, admoto exercitu, majorem habere vim, &, dum in metu est, parvo populum momento quam ad cumque conditionem impelli posse existimaret, denunciari Genuensibus per Blonchedium jussit, uti arma poneant, imperata facerent: Reginam, tametsi gravissimâ digni pœnâ Genuenses sint, qui rebellionem post ditionem fecerint, veteresque injurias novo scelere cumularint, tamen eos pro sua misere-

misericordiâ conservatos, quâm dele-
tos malle; siquidem, priusquâm, quæ
in itinere sunt, tormenta ad exercitum
advehantur, ad sanitatem redeant: nul-
lam, advectis tormentis, futuram de-
ditionis conditionem, atque intellectu-
ros Genuenses, quâm miseris grave,
& temerarium sit, irritare potentiores,
in demissâque fortunâ spiritus gerere
magnos magis, quâm utiles: denique
constituant ipsi, utrum, pace firma-
tâ, onanique dempto metu, regiæ cle-
mentiæ malint, an, vastatis agris,
interfectis civibus, eversâ patriâ, se-
veritatis periculum facere. Hâc ad Se-
natum relatâ denunciatione, ita Jaco-
bus Grimaldus ex auctoritate Blon-
chedio respondit: Jus esse naturæ, ut
sua quisque quâcumque ratione de-
fendat; neque ullo obstringi scelere,
si quis alienam ab se injuriam pro-
pul-

pulsaverit: illos videri potius ab æqui-
tate, justitiâque discedere, qui tantum
sibi licere putant, quantum possunt,
&, cum in aliena tam impudenter
invadant, innocentes accusent, qui sua
tueantur: Reginam, quæ adeo cle-
mentiæ nomine glorietur, non potuis-
se non commoveri, si inaudiverit,
quâm iniqua, quâm multa ab Duci-
bus suis pertulerint Genuenses, qui
quidem ipso in belli ardore suæ ma-
luerunt utilitatis, quâm eximiæ erga
illam observantiæ oblivisci: irritatam
toties patientiam postremò in furorem
erupisse, &, qui ab omni cum Re-
ginâ bello semper abhorruerint, cò
esse demum adactos, ut arma sume-
rent, quæ justissima sint oportet, cum
necessaria fuerint: armis sumptis, sic
esse Genuenses paratos, ut nec obsi-
deri, si necessitas coegerit, nec mori-
si ca-

si casus inciderit, pro libertate recu-
sent: cætera superis, fortunæque com-
mittant. Sculemburgius, ubi intellexit,
neque Genuensium frangi constantiam
jactatis denunciationibus, neque con-
cordiam, quam optima domi disciplina,
externique metus hostis faciebat,
convelli posse, nullamque propterea
aut spem, aut causam deditioñis esse,
ad reliquam cogitationem belli sese
recepit. Itaque & munire vias insti-
tuit, quo facilius tormenta subvehe-
rentur, & alia ex aliis loca occupare
perseveravit, ut Genuenses quæm
angustissimè contineret.

Advenerat interim Genuam Dux
Bouflertius, Galici exercitus Legatus,
atque unus e principibus Gallicæ no-
bilitatis, Equitemque Chovelenum
castrorum Præfectum, nonnullosque
alios duces adduxerat, &, quod non
sine

finè causâ tantus Vir a Galliæ Rege
submissus videbatur, civitatis spem,
alacritatemque renovaverat. Ille in
magno populi concursu, plausuque
Senatum ingressus ita Duceñ, Sena-
toresque est allocutus: Eādem Genuen-
ses animi magnitudine Reipublicæ li-
bertatem, & Galliæ salutem attulisse,
quosque hostes a cervicibus suis re-
pulerint, eosdem a Galliæ finibus re-
traxisse: itaque sibi priùs beneficio
fuisse, & virtutis famâ, quæm vultu,
congressuque cognitos; seque, cum
ad eos veniret, existimavisse ad Mar-
cellos, Scipiones, Fabios venire, quo-
rum animi robur nullis fractum ca-
lamitatibus, & vix posteris credibile
manu ipsi, usuque revocaverint: hujus
famâ virtutis commotum statuisse Gal-
liæ Regem non tam bello, quæm si-
de præstantem benemeritæ Reipublicæ

Pars II.

G omni-

50 DE BELLO ITALICO,

omnibus modis subvenire, seseque ab eo missum, qui præsens regiæ testis esset, atque obſes voluntatis: proinde hortari, cujus hostis insolentiam soli ejecerint, soli haſtenū retuderint, ut ejus in oppugnatione audaciam maxi-
mi Regis auxilio freti contemnere ne vereantur: Regis illos Legatum habi-
turos ad belli consilia socium, ad pe-
ricula ducem, neque se Gallum esse
melius omnibus probare posse, quam
si amore, fideque erga Rempublicam
Genuenfis fuerit. Dux Galliæ Regis
benignitatem summis laudibus extulit,
qui Rempublicam in gravissimis peri-
culis & adjuverit jam egregiâ liberali-
tate, & nunc Legatum ad eam am-
plissimum Virum mittat: tanti benefi-
cii nunquam se, nunquam Senatum,
totamque Civitatem immemorem fu-
turam: potuisse Genuenisbus hostes

oppo-

LIBER TERTIUS.

51

oppida, agros, pecuniam adimere, fi-
dem, atque animum neque ademisse,
neque adimere potuisse: itaque futu-
ros eosdem, qui semper fuerint, ut
in bello fortes, ita in fœdere con-
stantes, atque hoc etiam magis, quo
minùs nunc sunt de exitu rerum, ad-
juvante potentissimo Rege, solliciti.
His actis in Senatu, magnâ omnium
alacritate discessum est.

Paulò longius progressi Sextum,
Vulturemque ad mare oppida occu-
paverant Austriaci, & Pinum in mon-
tibus, cc. edito loco impositis militi-
bus, additisque munitionibus tenebant.
Vulturenſes Austriacorum perterriti ad-
ventu, auctore, & sequeſtre timidif-
fimo quodam loci ſacerdote, ſeſe
Franchinio Trib. mil. dediderunt. De-
ditione factâ, proximis improvisò ex
montibus cum ſuâ tumultuariorum

Pars II.

G ij mili-

52 DE BELLO ITALICO,

militum centuriâ descendens intervenit. Aenobarbus, conditiones nihil moratur, impetum facit, occidit nonnullos, fugat omnes, longissimèque fugientes insequitur. Hujus operâ Aenobarbi eo Genuenses bello, optimâ, fortissimâque sunt usi, & ipse, rebus strenuè gestis, cum humili ortus loco ignotissimus antea fuisset, pervenit ad hominum famam.

Altera ex parte Stephanus Lau-mellinus amantissimus Patriæ Vir, qui, Venetiis initio belli relicta, ad opem statim Reipublicæ ferendam convolarat, cum Mariæ Montanæ fano præcesset Pyrochitrophorique cīo. Austriaci loco potiri conarentur, qui Lupā-Amara dicitur, eō profectus est; eodemque tempore Paulus Gentilis cum militibus legionariis, Liguribusque aliquot Stajene progressus ad Pinum pervenit. Ne his qui-

LIBER TERTIUS.

53

quidem locis impetum Genuensium Austriae tulerunt, compluribusque amis- sis, relictais impedimentis, atque ipsis quas instituerant, munitionibus, ad suos fere præcipiti fugâ receperunt.

Eodem fere tempore a Creto, ubi Sanctandræensis constiterat, dupli- ci hostes agmine proficiscuntur, Canevariumque, qui Scoffaræ, ut dixi- mus, præerat, dextrâ sinistrâque ado- riri parant. Qui Lavaniolam, qui item Montem Cornarium obtinebant, quæ prima erant opposita hostibus venientibus loca, pedem Ligures re- ferre coeperunt, eatenùisque retulere, quoad locum nacti opportunitum sub- sistere, & militum, qui adveniebant, subsidio confisi repugnare potuerunt. Nam eâ re nunciata Canevarius iisdem, quibus Austriae venerant, jugis mille statim Bisannates, iisque qui subsidio essent,

54 DE BELLO ITALICO,

essent, legionarios nonnullos bipartito mittit; & partem, in quâ ipse erat, aggredi a latere hostem, partem a tergo invadere jubet. Commisso prælio, Genuenses Adolescentuli ducis alacritate incitati acrius impugnant; illi Genuensium audacia, &, ne intercluderentur, metu commoti celeriter lococedunt. Itaque interficiuntur, fugantur. At Canevarius, dum, fusis hostibus, retinere suos a prædâ, atque ad arcem occupandam Turriliam, quam hostium fugâ desertam esse cognoverat, adducere obequitans, adhortansque contendit, longius progressus, jaculique in adversum os ictu vulneratus ex equo delabitur: conantibus auxiliari suis; frustrâ, inquit, attollere conamini, quem jam vita deficit: unum oro, celentur meâ de morte milites, ne ipsius nuncio debilitatis eorum animis,

LIBER TERTIUS.

55

mis, parta jam victoria interpelletur. Ego satis vixi, siquidem invictus, & pro patriâ morior. Redintegratur Canevari morte hostium cædes, crevitque adeò Ligurum furor, ut irâ flagrantes non captivis, non vulneratis parcerent. Refertur in Urbem Canevari cadaver, ad cuius aspectum tristissimus augetur omnium dolor, quem jam mortis nuncius fecerat. Concurrebant, videre cupiebant; illum mortuum consueuisse ajebant, dum vivebat, hostibus terrorem, suis animum addere: illum ad parandos milites liberalem, ad pericula, consiliaque belli fortem, & prudentem fuisse, atque hæc egisse omnia, cum ad annos xxii. natus esset. Nam Canevarius non solum animo, sed etiam, quod non erat ab eâ ætate postulandum, consilio erat non vulgari. Fuerat

56 DE BELLO ITALICO,
rat in Galliâ Cisalpinâ apud exercitum
Reipublicæ Protrib. mil. legionis Li-
gusticæ; prælio ad Tanarum inter-
fuerat, paucisque mensibus, cum es-
set Genuâ profectus rei militaris ru-
dis, factus redierat dux: adeo verum
est, ab excellentibus ingeniis indoci-
lem usus disciplinam non desiderari.
Supremo die suo quām amplissimè elati-
tus est, funebrique pompæ tota fer-
mè Civitas, milites, ducesque, ipse
in priuīnis Dux Bouflertius interfuit. Fa-
ctum est etiam S. C., ut Petro Ca-
nevario invictissimo Adolescenti ob
mortem pro Republicâ obitam statua
marmorea in curiâ poneretur, quæ
tantæ virtutis monumentum, patriæ
que posteris defendendæ exemplum
esset.

His omnibus præliis intellectum
est, neque Austriacis satis esse animi,
quod

LIBER TERTIUS. 57.
quòd locorum naturam ignorarent,
neque Liguribus constantiæ, si a no-
biliū exemplo, & legionariorum
subsilio desererentur. Accedebat huc
ut militari assuefacti disciplinâ Austria-
ci meliùs progrederentur, &, quæ
cœpissent loca, peritiùs defenderent.
Ligures autem facile a signis discede-
rent, magisque in singulis interficien-
dis militibus, quām in summâ rerum
Austriacis nocerent. Erat tamen in
hoc bellandi genere illud Genuensi-
bus opportunum, quod & levibus
præliis attrebatur hostis, quem de-
teriore in dies locus alienus, & tem-
pus faciebat, & Liguribus quotidianâ
præliandi consuetudine animus acce-
debat: sociis prætereà spatum erat
mittendi auxilia, quæ per medias Bri-
tannorum classes parvis advecta navigiis
in Genuæ portum facile irrepebant.

Pars II.

H Au-

Austriaci, Coronatæ occupato fano, quod edito loco positum, propius jam, instructis munitionibus, Arenario suburbano succedebant. Genuenses, quò longius illos arcerent, a Porciferæ amnis ostio ad eam exteriorem Urbis munitionem, quām Forcipem appellant, comprehenso colle, qui ab amēno prospētu nomen accepit, aggerem perducere, atque instruere properabant, neque adactis ex hostium munitione, Britannicāque na vi, quæ rei impediendæ causâ ad litus accesserat, telis deterrebantur, quominus opus urgerent. Quin etiam ipsi suorum tormentorum vi Austriacos, Britanosque vexabant, Franchiniumque interfecerant nefariam ulti crudelitatem, quā ille in miseros Porcifernos omnia exempla cruciatus ediderat: eādemque celeritate ab alterā Ur bis

bis parte Albarense suburbanum, excelsioraque circum loca munire curabant, & sic sunt patriæ tutandæ studio incitati homines insueti militaris patientiæ, ut rem multi operis, ac laboris, adhibitis militaribus architectis, nobilissimisque ad opus viris excubantibus, brevī perficerent.

Adventus Ducis Bouflertii summā spe, & voluntate Civitatem compleverat; nec minus ipse, quām in Senatu confirmaverat, animo laborabat, ut Reipublicæ Genuensis amantissimus videretur. Nam, seu quid communicandum, seu quid administrandum esset ipse principes Civitatis benignè appellabat, ipse plebem effusā largitione incitabat, interdiū, noctūque obequitans, interim pedes, nihil apud hostes tutum, nihil apud suos languidum patiebatur. Namque

etiam per eos dies Coronatæ fano depellere Austriacos constituerat, urbanamque esse in armis militiam, seque ad nocturnam parare eruptiōnem jussérat. Signo dato, omnes convenerant. Ipse monendo, cohortandoque aderat Bouflertius. Movebantur etiam exemplo Josephi Duratii, qui proiectâ ætate, ut sæpè aliás, ita tunc armatus prodierat, nummosque populo spargens rem adjuvabat. Sed infregit consilium fœdissima coorta tempestas, adeout, proluentibus undique aquis violentissimis, neque arma homines tenere, neque pedem progredi possent.

Senatus, cum multa, quæ pertinerent ad sollicitandum statum Republicæ, excitari in turbâ belli posse existimaret, saluberrimumque censeret in maximis rebus summam im-

imperii apud unum esse, quæstionibus extrâ ordinem exercendis quasi dictatorem dixit Augustinum Gavotum, qui pœnâ paucos, terrore omnes afficiens intestino scelere Rempubli- cam liberavit. Magnam interim argenti vim in bellum Genuensis Rex Galliæ dare, neque minorem Hispaniæ Rex liberalissimè polliceri perseverabat, & auxilia uterque submittebat.

Auctâ classe, omnibus longè, latèque litoribus occupatis, intentiores erant ad custodias Britanni. Genuenses ad recipienda auxilia, quæ, classis metu, portu Monæci continebantur, lx. phælos miserant, iisque præsidio naves longas duas. Nam commeatus propter ejusmodi agilitatem navigiorum facilius elabebantur, minusque, si nonnulla fortè ex iis in cursu of fenderent, deperibat militum, qui se para-

62 DE BELLO ITALICO,
paratim in plures erant phaselos im-
positi. Ac primò in noctem conje-
cti phaselii, obductaque summo mane
nebulâ occultati Britannicam fefelle-
rant classem: deinde ubi diluxit, di-
scuslaque caligo est, apparuere. Quos
cum audaciùs progressos Britanni vidis-
sent, sperantes intercipi posse, præda-
toriam subito navim, myoparonem,
atque aphractum ad eos miserunt. Ge-
nuenses, eductis triremibus duabus,
conantes portum capere phaselos pro-
tegebant, prædatoriamque navim ja-
ctis morabantur telis. Eodem tempo-
re naves longæ duæ Genuenses myo-
paronem, aphractumque Britannorum,
commisso prælio, distinebant. Quæ res
magnum attulit phaselis ad incolumi-
tatem momentum. Nacti enim spa-
tium, cum vehementius remos incita-
sent, in portum omnes refugerunt,
quos

LIBER TERTIUS. 63
quos statim, repulsis, elusisque Bri-
tannis, naves longæ, ac triremes con-
secutæ sunt. Ea exspectati auxiliu spes,
is ex prælio metus animos versabat
Civitatis, ut nemo ferè Genuæ fuerit,
quin visendi causâ altissima tecta, mœ-
niaque petens ex omni prospectu lo-
cum spectaculo cæperit, lætusque,
confecto prælio, & gratulabundus
ad portum procurrerit. At Britanni
omnium dominatores marium, tantâ
sub oculis acceptâ ignominia, magni-
perè fremebant, eoque id magis, quod
crebris sollicitabantur Austriacorum
querelis, qui auxiliarum adventum
eorum negligentiae falso tribuebant.
Nam Genuenses nautici, & ipsi ho-
mines domestico maris usu valebant,
parvulisque navigiis, quibus incredi-
bili celeritate transmittentes, ad litora
sese statim, vadaque applicabant, at-
que

64 DE BELLO ITALICO;

que ita Britannicarum impetum narium ferè semper fugiebant. Magna præterea est maritimarum rerum inconstantia, & difficultas, ut potè quas interdum malacia detinet, tempestas sæpe affligit, incertissimæque semper res, ventus atque unda gubernant. Neque verò, dimissis quaquaversùs aphractis, parùm proficiebant Britanni, submissaque etiam navi, quæ contrà Nervium in anchoris consisteret, eamque esse partem, quæ propter angustissimam oram Genuam dicit conjectis infestam telis haberet, importari terrâ in Urbem commeatus prohibebant, exscensionemque eo loco facere tentaverant. Sed periculum veriti, quòd Ligures arma cæperant, ad navem statim refugerant, quam paulopost, sublatis anchoris, in altum remulco adducere coacti sunt. Illam enim Ligures,

LIBER TERTIUS.

65

gures, duobus allatis noctu tormentis, repantino impetu telorum labefactaverant.

Venerant tandem xii. Subalpinorum cohortes, quarum Comiti Roccæsio permisum erat imperium, atque is, capto, direptoque Vulture, ad Sextum castra fecerat, eoque tormenta Savonensi arce deducta, reliquaque, quæ ad oppugnationem pertinent, terrestri desperato itinere, Britanicis navibus supportabantur. Aucto Sculemburgius exercitu, collem quandam, in quo fanum est Misericordiæ positum, Ligurum dejecto præsidio, facile potitur; qui collis abest ab Genuâ millia passuum ii.. Genuenses eo amissso loco, tametsi non maximi erat momenti, tamen vehementer propter nimiam cujuscumque rei sollicitudinem perturbantur. Bouflerius, ne per

Pars II.

I otium

otium hostium increaseret audacia, & vulgi ingravesceret timor, signum dari, recipique collem, fanumque imperat, idque confestim conatus effectum se sperabat, propterea quod annis Porcifera, qui medius inter eos, qui fanum obtinebant, reliquaque hostium præsidia fluebat, coortis imbris, eâ nocte admodum creverat, ut, quomodo alii aliis subsidio irent hostes, impedire posse videretur. Dat negotium Choyelenio castrorum Præfecto, ut princeps prælium ineat. Ille urbanæ militiae centuriis, & Gallis, atque Hispanis aliquot assumptis, ad hostes proficiscitur, in eosque, cum hora diei esset octava, impetum facit, acerrimeque repugnantes, relictis inferioribus locis, ad fanum sese recipere cogit. Eodem tempore Comes Lannionensis, qui Geminorum-Fratrum

trum monti præsidio erat, eruptione factâ, hostes a latere premebat, jamque, cum ab horâ octavâ ad vesperum pugnatum esset, Hispani, Gallicique Pyrochitophori captis Austriacis compluribus, atque occisis, fano appropinquabant, in eoque jam erant, ut irrumperent: cum Bouflertius, qui ad portam Granarolam progressus eventum pugnae expectabat, receptui cani jussit. Nam, & satis ad hostium minuendam audaciam, Genuensiumque confirmandos animos factum existimabat, & Lannionensis eruptione, Geminorum-Fratrum montem nudari nobebat, ne vacuum a præsidio eum hostis occuparet. Præterea, cum res studio esset contentionis propè in noctem deducta, in tantâ veteranorum paucitate nocturnum esse prælium vietandum censebat. Ita in occupato Au-

68 DE BELLO ITALICO ,
striaci colle remanserunt , Bourbonii ,
& Genuenses in Urbem reversi sunt ;
cum hi , quòd primo concursu terga
vertere hostes coegissent , viciisse sibi
viderentur , illi vicissent . Tumulum
enim , fanumque , quæ causa pugnan-
di fuerat , tenuerunt . Pauci ex Bor-
boniis , & Genuensibus cecidere , in
his Marchio Fajensis Trib. mil. de
exercitu Gallico , qui hostibus insistens
mortiferum vulnus accepit , ex eoque
postridie interiit . Ipse fortissimè pu-
gnans vulneratur Chovelenius . Fran-
cus autem Grimaldus in medios ardo-
re pugnandi abreptus hostes , ab iis
captus est , unum præstantissimus Ado-
lescens , dum caperetur , questus ,
quòd , cum in alienam veniret potesta-
tem , Patriæ suæ inservire non posset .
Operum magnitudo , & conti-
nens tot mensium labor populi stu-
dium

LIBER TERTIUS . 69
dium infirmare videbatur , erantque ,
qui propter non magnum in re mili-
tari usum non magnum sæpe pericu-
lum miserarentur , firmioresque existi-
marent hostes , quām reverā essent .
Multa improbi fingebant , prudentes
suspicabantur , timidi credebant , ut
his omnibus rebus magnus paulatim
irrepere timor , & desperatio posse vi-
deretur . Itaque , ne in medio rerum
cursu impetus resideret animorum ; ar-
tificum capita , urbanæque plebis
principes in curiam extrâ ordinem co-
gere , eosque alloqui de Senatus sen-
tentia Brignolius Dux constituit . Cum
frequentes convenissent , magnaque
præterea affluxisset multitudo amictus.
togâ purpureâ Dux , & sedens in so-
lio : Non negaverim , inquit , Ge-
nuenses me ultrò ad vos tanquam ad
homines diuturnitate belli defatigatos ,
hor-

hortandi causâ processisse; sed tanti
ego facio frequentiam hanc vestram,
quâ in hunc locum rogati conveni-
stis, eam in vultu omnium, atque
oculis eminere video patriæ alacrita-
tem defendendæ, ut gratulatione mihi
potius, quâm hortatione utendum esse
intelligam. Quid enim eos horter,
quos intueor, paratissimos? est verò,
quod patriæ, quæ cives genuit for-
tissimos, est quod vobis, qui patriam
servastis pulcherrimam, est denique
mihi ipsi quod gratuler, cujus impe-
rii nomen multò illustrius perveniet
ad posteros vestræ commendatione vir-
tutis. Quanquam haud scio, an hæc
ipsa gratulatio supervacanea sit, cujus
est usus confecto bello reservandus,
ne fortunæ beneficium præripuisse vi-
deamus. Quæ erunt igitur meæ par-
tes? illud unum vos admonere, ut

vestri

vestri similes sitis, idque efficiatis, ut
extrema principiis consentiant. Nam
quid minus conveniret, Genuenses,
quàm, collocatæ cum essent in cervici-
bus nostris victrices Austriacorum legio-
nes, vos privato consilio (nec enim ali-
tèr fieri potuit) ejeçtis illis, sustinuisse
solos labantem fortunam Reipublicæ,
& nunc auctore Senatu, consentien-
tibus omnibus, adjuvantibus Regibus
potentissimis, animo deficere? an ho-
stem ut videamini timere, quem fuga-
stis? aut aliquid ab eo æqui sperare,
qui stare sibi non posse videtur, nisi hâc
eversâ, & deletâ civitate? qui non pe-
cuniā, ut antea, sed jam iratus san-
guinem vestrum concupiscit? nullâ ma-
gnoperè lacefitus injuriâ ad pacatos,
ad deditos accedens nihil sceleris, ni-
hil crudelitatis prætermisit: quid hîc
faciet dolore ardens amissæ prædæ,
& gran-

72 DE BELLO ITALICO,

& grandi læsus ignominia, quâcumque ratione in Urbem hanc redire potuerit? sed, ut spero, & video, non poterit. Eos habemus socios Reges, quos eadem nobiscum arctissimè causa conjungit, eos Regum Legatos, eam Senatus constantiam, eum omnium ordinum consensum, ut vehementer sit hostibus de victoriâ desperandum? qui neque pauci tantæ Urbis oppugnandæ molem sustinere queunt, & quo plures sunt, pluribus rebus in nudo, atque aspero solo egere necesse est. Non Britanni, unâ, aut alterâ intercæptâ naviculâ, commeatus, auxiliaque nostra impeditre; non Subalpini, paucis commissis cohortibus, ad summam belli multum proficere possunt. Atque hos ipsos jam ad respicienda cuique domestica mala belli per vos excitata fortuna,

LIBER TERTIUS:

73

tuna, & Borboniorum in Belgio, Italiâque victoriæ convertent. Quid autem finè his Austriaci poterunt omnium egentes rerum, & quotidiani deminuti præliis? Tolerate, Genuenses, paucorum dierum molestiam, & tantum hunc oppugnationis apparatus ad nihilum propè diem recidere videbitis. Nolite interim aut stultâ aliquâ spe aperire ad occasionem locum hosti, aut vano metu, animique imbecillitate patriam omnem prostertere, eorumque etiam auxilio, vobis trepidantibus, spoliare, qui vestræ salutis causâ maris, atque hostium periculum neglexerunt. Quæ Hispani, quæ Galli milites pro vobis gesserint, atque gerant, ipsi videtis. Quo socii Reges, quo in primis Galliæ Rex sit animo in Rem publicam, quâ fide, adest, qui vos

Pars II.

K

bis

74 DE BELLO ITALICO,

bis ostendat nobilissimus Legatus ipsius Bouflertius, regiae testis voluntatis, & vestrae idem aestimator virtutis. An patriam peregrini vestram studiosius defendant, quam cives? an poenitet vos, quod, Republicâ recuperata, famam estis apud omnes gentes, atque immortalem gloriam consecuti?

Quod si, his omissis, causam belli spectare, eamque judicare meliorem velimus, quam etiam Cœlestes adjuverint: quænam esse potest, Genuenses, causa justior bellandi, quam quæ adversus teterimos patriæ oppugnatores civium armat manus? aut quisnam illud sine Divino evenisse consilio existimet, quo factum est, ut exercitatissimi, paratissimique hostes vincerentur a vobis, qui propè eratis inermes, & nullum certe rei mili-

LIBER TERTIUS.

75

militaris usum habebatis? Superis igitur, hominibusque juvantibus, incumbite, Genuenses, in optimam causam, eamque nunc meliore belli conditio ne retinet virtutem, quam a principio perditâ ferè fortunâ præstitionis. Qualis erit vestra in bello virtus, talis erit hujus Urbis, & totius nominis Genuensis fors. En ego vester Dux pro patriâ, pro vobis, quos mihi carissimos, atque in liberorum loco habeo, non solum vigilare, adesse, providere, sed etiam pugnare, & mori paratus. Evidem me Ducis nomine Patres appellant, ego patriæ militem dici volo; &, si regius hic ornatus impedimento mihi est, quominus vobiscum unâ in aciem prodeam, date gregale sagulum, quo turbæ immixtus prælantium vitam meam hostium telis objiciam. Nam

Pars II.

Kij neque

76 DE BELLO ITALICO,

neque grata est dignitas, quæ vitam servat incolumem ad intuendam patriæ eversionem, neque acerba mors, quæ naturæ debita patriæ donatur.

Quâ Ducas extremâ oratione permotus populus dicentem interpellat, & magnis clamoribus cohortatur, ut sibi consulat, & vitam suam ad Reipublicæ utilitatem reservet, universisque discedentem ex concione lætissimo plausu prosequuntur, & se ad omnia belli pericula paratiissimos esse confirmant. Itaque, cum pro operum magnitudine, & stationum multitudine, tametsi duodeviginti fermè hominum millia quotidie essent in armis, tamen parum videretur esse defensorum, Senatusque consultum factum esset, ut lecticarii, servique omnes puberes armarentur, non dominus fuit, qui familiam offerre, non servus, qui no-

men.

LIBER TERTIUS.

77

men dare recusaret; ipsasque videre erat primarias Fœminas, Senatoresque, non, ut antea, stipatos grege familiarium, sed uno vix famulo comitatos in publicum prodire. Una omnium occupaverat animos patriæ cura, &, quæ prosperis temporibus pudori fuisse, faciebat calamitas Reipublicæ, ut laudi ducerentur.

Mittuntur Comes Lannionensis, & Augustinus Pinellius, quorum alter Gallis, alter Liguribus, atque uterque, mortuo Canevario, Scoffaræ præsit. Hi arcem Turriliam vano ab hostibus metu derelictam recipiunt. Arx contrâ Masonia, præsidiumque per eos dies, adacto cuniculo, in potestatem Austriacorum venit; id quod in tantâ militum paucitate Genuensibus accidit perincommodè.

At Sculemburgius Subalpinorum auxi-

auxiliis confirmatus in Bisamnatem vallem erumpere, & quæ pars Urbis ad orientem spectat, patetque maximè, atque infirmior est, hanc adoriri constituit. Id ne a principio spectaverit, & adventum præstolans Subalpinorum tandiu distulerit, an alterius partis oppugnandæ difficultate admonitus situm postea Urbis accuratius perspexerit, non sanè constat. Illud videtur certo esse ponendum, oppugnari Genuam faciliùs potuisse, si exercitum Austriaci in Bisamnatem vallem statim adducere maluissent, quàm munitissima Porciferæ vallis loca carptim tentando prima belli tempora Borboniis, & Genuensibus prodere.

Pridie id. Jun. circumspectis diligentissimè Sculemburgius, & paratis, quæ ad eruptionem pertinent, jussis
Sub-

Subalpinis omnibus, & Austriacorum cohortibus aliquot ab alterâ Urbis parte Genuensium præsidia tentare, Geminorumque eodem tempore Fratrum montem simulato impetu invadere, ut anticipi defensionis curâ distracti Genuenses, Borboniique a præsentis periculi suspicione averterentur. Ipse, triplici instructâ acie, tertiatâ circiter vigiliâ castris egressus, Ferritoremque amnem, nullo repugnante, transgressus, expedito exercitu ita noctu iter fecit, ut sub lucis adventum ad Serram, quam vocant, Bavorum perveniret, Ligures, qui ibi erant præsidio, paucos, & nec opinantes nihil negotii fuit opprimere, atque in fugam dare. His fugatis, ad faucem Rattorum, qui perangustus est in illis montibus aditus, & defendi opportunè poterat, eâdem celeri-

leritate contendit. Militaris disciplina neglecta severitas magnæ saepe in bello calamitati est, & tum fuit. Nam Helvetiorum manus de Hispaniensi exercitu, cui locus is ad defendendum obvenerat, cum sine ducibus, qui in amoenæ solitudinis tædio longius pernoctabant, remissius ageret vigilias, & omnia magis, quam hostes, expectaret, repentino eorum adventu exterrita, perturbataque loco excœssit. Quo Austriaci potiti, summumque nacti jugum rejectos ex loco superiore urgent Helvetios, atque hi, cum omnibus rebus premerentur, ægrèque resisterent, initium fugæ faciebant. At Taubenius Hispanorum Præfectus, qui ad Urbem erat, eâ re nunciata, cursu incitato, Cordubensis legionis manipulum secum adducens eò statim advolarat, atque hostes comprimere, suosque

suoque precibus, cohortationibusque firmare conabatur, ut se ex fugâ, & timore colligerent. Qui cum nihilo feciùs fugere perseverarent, ille, ut videret, si posset exemplo retinere, quos verbis non poterat, districto gladio præcurrit ante omnes, gravius affectus vulnere, cum se sustinere non posset, inter militum manus e prælio ablatus est, duodecimumque post diem præstantissimus dux omnium luctu, & desiderio interiit. Fit protinus, vulnerato Taubenio, effusa Helvetiorum, atque Hispanorum fuga. Jam Subalpini reliquique Austriaci, ita uti inter eos convenerat, subito instructis copiis provolaverant, unoque tempore, & Arenarii munitiones, & Geminorum-Fratrum montem tentaverant. Facile Genuenses defendunt; celeriterque animadversum est,

maximas Austriacorum vires alio spe-
ctare, neque id ab iis, nisi distinen-
torum hostium causâ, tentatum esse.
Primâ luce, pulsis Helvetiis, monte-
que occupato Rattorum, omnia ferè
superiora loca, unde est propinquus
in Bisamnatem vallem, Urbemque
Genuam despectus, multitudine Au-
striacorum completâ conspicuntur.
Nam dextrum eorum cornu ad lu-
cum usquè sodalium Camaldulensium,
montemque Quetium pervaferat, Ma-
riæque Montanæ fano imminebat; si-
nistrum autem in vallem Sturlam,
omnibus circà jugis occupatis, atque
ad mare pervenerat; tantumque ab eâ
parte terroris intulerat, ut Nazarianæ
munitionis, quæ ad Albarensis tumuli
radices constituta est, tormenta Bor-
bonii, desperatâ defensione, abjicerent
in mare, ne in potestatem Austriaco-
rum,

rum venirent. Totâ interim Urbe fa-
ma percrebescit; non longè hostes
abesse. Tacita primò, & tristissima
admiratio; deinde conclamatur ad ar-
ma. Habetur Senatus. Complentur
mœnia. Consulitur. Trepidatur. Ge-
nuenses usus ignari militaris ad Bor-
bonios ora convertunt; quid ab eis
geratur, expectant. Borbonii neque
satis periti locorum, & veteranorum
paucitati diffidentes animo magis,
quam consilio valent. Bouflertius ad
portam progressus Romanam de Ur-
bis defensione vehementissimè laborat.
Austriaci interea longius procedebant,
& Mariæ Montanæ fanum jam occu-
patur videbantur. Tum Marchio Le-
densis, qui fano præerat, cum se
nullâ satis munitione tutum adversus
hostes arbitraretur, præsertim quos
recenti successu efferri videret, Bou-



flertium crebriores per nuncios facit certiorem, quid faciendum existimet; & se, cum loco diffidat, receptum parare demonstrat. Ac primò Bouflertius consilium ejus probat, postea monitus a Sicrio castrorum Præfecto de exercitu Genuensi, qui eò forte advenerat, ne amplam, relieto fano, oppugnandæ Urbis occasionem hostibus præberet, locum pugnacissimè defendi jubet, &, cum se jam Ledensis recipere cœpisset, summittit ei Roccapinum affinem suum, strenuum ducem, & paratum, qui aliis raptim additis munitionibus, allatisque tormentis, assiduo jactu telorum confundi hostibus facultatem non dabat. Non tamen dubium fuit, quin, si dum Ledensis trepidat, Bouflertius consultat, confessim Austriaci irrupissent, locus esset amissus, qui ad defen-

fensionem Urbis maximæ erat opportunitatis.

Ita parvæ res magnum in utramque partem momentum habuerunt. Nam & negligentia Helvetiorum aditum propè ad Urbem hostibus dedit, & fortuitus Sicrii adventus salutem Genuensibus attulit: eoque die non tam virtus fuit Austriacorum laudanda, quæ viarum, locorumque difficultates supervadere aggressa celerrimè superavit, quam Genuensium visa est admiranda fortuna, quæ quâdam suâ magis vi, quam defensorum industriâ celerritatem hostium, victoriamque retardavit. Sculemburgius enim sive rem nimis facilem, sive nimis difficultem arbitratus, atque in facilitate infidias, in difficultate laborem ex tantâ militum defatigatione veritus vacuum Ledensis receptu Mariæ Montanæ

tanæ fanum occupare neglexit (id quod erat ei omnibus modis conandum) deterritusque etiam , quominus propius Urbi succederet , munitionibus iis , quas in Albarensi suburbano superioribus diebus Genuenses institerant , in valle Sturlâ substitit , natusque desertam quamdam secundum mare Turrim , eam duobus impositis tormentis communiit , eoque ab Sexto , quæ ad oppugnationem Urbis pertinebant , comportari imperavit : unoque tempore , & adiectis majoribus tormentis oppugnare Genuam ab eâ parte , & arctius obsidere constituit , naviculis , quæ magno erant Genuensibus usui ad commeatus subvehendos , dupli periculo perterfactis ; cum , si litus legerent , vexarentur ab Turri , si altum tenerent , deprehenderentur a Britannis ; percrebueratque rumor extremam esse in Urbe famem , grandique macie torridum populum sordidissimis rebus tolerari ; ut Civitatem ad voluntariam etiam dditionem inopiam cogi posse Britannis persuadere Sculemburgius vellet . Sed Britannicæ classis Præfctus navarchum in scaphâ Genuam cum caduceo miserat , qui per causam reddendæ publicè literæ statum Civitatis diligentius specularetur ; atque is in Urbe intromissus , opiparaque a Bouflertio mensâ acceptus , dum ad Prætorium deducitur , reduciturque ad scapham , cibariorum copiam in viis expositam , quam etiam de industria Genuenses adauxerant , populique alacritatem conspicatus , quæcumque viderat , Præfecto renunciavit . Senatus etsi intelligeret , cuius rei causâ missus navarchus esset , qui nihil gravioris.

88 DE BELLO ITALICO;

ris negotii attulerat, tamen non inutile judicavit ad deterrendos hostes, videre ipsosmet, quam parata essent omnia ad Urbis defensionem.

Respiraverant interim Genuenses, & Austriacos, qui praeter opinionem non vicerant, pro victis habebant. Diem noctemque in operibus, in muris versabantur. Hispani, Gallique præsto erant milites, ducesque. Adebat omnibus hortator Bouflertius, nullumque sibi ad quietem tempus relinquebat. Sacerdotes ipsi, quibus postea ex S. C. gratia æctæ sunt, offerebant se, armatique vigilias, atque excubias agebant. Ducebantur fossæ, extruebantur aggeres: Mariæ in primis Montanæ fanum, atque Albarense suburbanum propter loci opportunitatem, continuatis operibus, muniabantur. Loricis adjectis, munimentis

LIBER TERTIUS.

89

mentisque fossarum perfectis, moenia, quæ circa Bisamnatem vergunt vallem, ab hostium incursu defendebantur. Tentabant præterea, quo possent pacto & Austriacos in suis divexare munitionibus, & Britannos submovere, ne tormenta ad Sturlam liberè exponerent. Pontonem enim, quod genus est navis grave, & latum, eoque in portu ad materiem, saxaque convehenda uti solent, duabus tormentis, duobusque item mortariis instructum, laneisque obrectum culcitris ad defendendos milites ab iectu telorum, multis adductum funibus, scaphisque, cum duabus præsidio triremibus, contrà Sturlam collocauerant, ollisque repente incendiariis, continentique telorum jaictu Austriaeorum munitiones, & Britannicas naves infestas habere coeperant. Sed,

Pars II.

M coortâ

90 DE BELLO ITALICO,
coortâ tempestate, & Genuenses im-
portum se recipere, & Britanni in-
altum vela dare coacti sunt. Crebra
etiam terrâ, dum Austriaci irrumpe-
re, Genuenses, Borboniique repu-
gnare conantur, prælia fiebant. Co-
mes Lannionensis, & Augustinus Pi-
nelli, ne, progressis ad mare Au-
striacis, ipsi intercluderentur, Scoffar-
am reliquerant, præsidioque arci-
Turriliæ paucis militibus, Liguribus-
que relictis, ad Reccum sese, Mar-
garopolimque receperant.

At Paris Pinellius Augustini Fr.
Eques Jerosolymitanus monte Fasce-
si depellere Austriacos aggreditur. Te-
nebatur ab iis mons duobus satis fir-
mis præsidiis, &, quod non longè
eorum aberant castra, facile erat iis-
dem, quodcumque submittere mili-
tum. Erant cum Pinellio Ligures
nume-

LIBER TERTIUS.

91
numero cl. Rei aliquis difficultatem,
periculique magnitudinem ostenderat:
sed Pinellius, quià , relictâ Melitâ,
ad primum laborantis patriæ nuncium
Genuam venerat, magnum aliquod
pro Republicâ efficere properabat, inci-
tabaturque gloriæ cupiditate, & na-
turæ quâdam ferociâ, inconsultâque
rei bene gerendæ, fiduciâ . Neque
ejus cupiditati Ligurum studia de-
sunt, & audaciam a principio fortu-
na prosequitur . Nam primum ho-
stium præsidium, circiter quadraginta
interfectis, expugnat. Hâc re ani-
madversâ, ii. millia expeditorum mi-
litum subsidio suis Austriaci mittunt
suspicati, paucis præmissis, multò
majorem affore Ligurum manum .
Ne hæc quidem res ab spe, im-
petuque Pinellum moratur, temerè-
que progressus prælium cum tantâ

Pars II.

Mij hostium

hostium multitudine committere, longumque adoriri præmunitum non dubitat. Neque vario certamine pugnatum est, cum Austriacorum numero deterriti Ligures præcipitem subito incertis itineribus, per silvas, & montes fugam arripuerunt. Ietum jaculo Pinellum, & prolabentem ægrè humeris impositum Ligur e prælio quidam auferre conatur. Vulneratus Ligur vulneratum relinquere Pinellum cogitur, cujus statim Austriaci conclamantes victoriam caput præcidunt. Deposcenti tamen Fratri corpus ad sepulturam conceditur: cumque funeris causâ relatum. Genuam esset ad exequias cohonestandas frequentissima convenit civitas, graviterque doluit, tantam fortitudinis indolem abreptam ætatis, & gloriæ æstu quodam tam citò defecisse.

Dum

Dum hæc ad Genuam geruntur, Bellinsulanus, educto ex hibernis exercitu, fratrem suum Equitem Jerosolymitanum, virum & consili magni, & virtutis, receptis Lerinâ, Planasiâque insulis, cum cohortibus xv., equitibusque nonnullis Ocelum versus in eas partes, quæ Barcinonetam vallem attingunt, proficii jubet; ipse, exploratis hostium rationibus, aliud capit initium belli. Minensis, & Bellinsulanus, conjunctis, transductisque flumen Varum copiis, eâdem celeritate, quâ fuerant relicta, Nicæam, Montem-Albanum, Villamque Francam oppida recipiunt, atque ad Albintemelium perveniunt, arcemque oppugnare instituunt, eodemque tempore Pignattellum præmittunt, qui cum primo agmine Remopolim progressus, quâ possit latif-

latissimè ostentationis causâ pervagetur. Leutronius, qui jussu Regis Sardiniae eis locis præerat, simul ac adesse Borbonios cum ingenti armatorum multitudine nunciatum est, quorum adventum, viresque fama, ut fit, multis auxerat partibus, primò ad montes se convertit, qui Onelensem tractum cingunt, appropositisque munitionibus irrumptentes demorari Borbonios cœpit. Sed postea, deditioне ipsius arcis Albintemelii cognitâ, quæ per eos dies facta fuerat, cum ne montibus quidem, & munitionibus satis confideret, atque eum omnia deesse viderentur, missis confestim ad Sculcmburgium, Roccæsiunque nunciis, quanto ipse in discrimine versetur, ostendit; nec se hostium impetum sine eorum auxilio sustinere posse perscribit. Illi eodem periculo,
iisdem

iisdem permoti rumoribus, quas instiuerant, disjectis munitionibus, impoſitisque in Britannicas naves tormentis, receptum parabant. Quæ dum administrant, redduntur iis interim a Rege Sardiniae literæ, quibus oppugnationem Genuæ, omisis omnibus, quām maturimè perfici jubebat, eamque, auditâ Sculemburgii in Bisamnatem vallem eruptione, ad exitum spectare arbitrabatur. Itaque rursus exponunt Britanni tormenta, rursus apparantur aggeres, iterumque oppugnatio fervet, & summâ utrinque vi certatur. Postea verò quām Bellinsulanî Fratris copias ex alterâ parte ad alpes augeri, ex alterâ Bellinsulanum ipsum, & Minensem, captâ arce Albintemelii, secundùm mare ad liberandam Genuam accelerare, nec tantis rebus gestis, ullo adhuc

adhuc Genuæ mœnia telo attingi potuisse cognovit Sardiniæ Rex , simul a Præfecto Britannicæ classis certior factus est , nihil esse in obsidione spei adversùs Genuenses , qui omnibus rebus abundabant , rei moram timens , & desperans exitum , commutato repente consilio , suas e Liguriâ copias revocat , debitaque ex fœdere Austriacorum auxilia a Sculemburgio reposcit . Namque admodum verebatur , ne , copiis dissipatis , atque interclusis suis , ab hostibus circumstiteretur , neu , dum alienis inhiciat , sua ipse amitteret .

Abstrahebatur ægrè ab oppugnandâ Genuâ Sculemburgius , certamque sibi eripi e manibus victoriā querebatur , & sunt etiam plerique , qui existiment , futurum fuisse , ut Genua expugneretur , si perseverare in op-

in oppugnatione Sculemburgio licuisset . Sed Roccæsius , acceptis ab Rege suo mandatis , discedere cum Subalpinis properabat , jamque anchoras moliri Britanni videbantur , quorum auctoritate necessariò Austriaci movebantur . Itaque , concilio advocateo , cum discedere constituissent , Roccæsius suarum partem Leutronio copiarum auxilio misit , partem ipse in Subalpinos duxit : Britanni , contractâ classe , tormentis , impedimentisque exercitus , & nonnullis Austriacorum , quæ ad Regem Sardiniæ breviore itinere mari adducerentur , cohortibus in naves impositis , e conspectu Genuensium Savonem , Vadumque Sabatum concesserunt . Sculemburgius , reliquis cum expeditâ manu præmissis impedimentis , relicta Sturlâ , atque aliquot ad Turraciam , in Porciferâque deinde valle moratus dies , & Ligusti-

98 DE BELLO ITALICO.

cas, non infecutis Genuensibus, quietissimè transgressus fauces, in Galliam Cisalpinam rediit. Quòd cum venisset, exercitum, atque imperium Brounio tradidit, ipse in Germaniam profectus est.

Genuenses, recuperatâ patriâ, reliqua ferè omnia amiserant maximis affecti detrimentis, atque internecini belli sumptibus exhausti, cuius bellum tetra extabant vestigia, prostratae villarum fores, deusta tecta, & nihil sancti, amoenive circa Urbem integrum a clade, & vastitate relictum. Neque verò in discessu hostium gaudere ex animo poterant, quòd & fortunas eversas suas intuebantur, & perculerat eos gravissimè Bouflertii mors, qui eodem illo die, quo discesserant hostes, pustularum morbo consumptus interiit. Cujus cognitâ morte, tantus Civita-

tem

LIBER TERTIUS.

99

tem mœror oppressit, ut, si capta ab hostibus Urbs fuisset, non minor futurus videretur: adeo ex unius hominis interitu deserta omnia, horrida, & ingenti quasi muta dolore erant. Senatus Regii Legati auctoritatem, Populus nobilissimi Viri liberalitatem, amorem uterque erga Rempublicam, fidemque magnam desiderabat, mœrēbatque vehementissimè. Ibì tum Chovelenius tanto Civitatis luctu permotus in curiam ultrò venit, Senatumque mcerentem multa Regis sui nomine amantissimè pollicitus recreavit, horatusque est, ne caderent animis, neu, Galliae Rege superstite, quicquam cujusquam casu de Reipublicæ præsidio detractum arbitrarentur: maximum se quoque dolorem cœpisse ex interitu talis vel ducis, vel amici; tamen, privato compresso luctu, non potuisse non

Pars II

N ij

se non

100 DE BELLO ITALICO,
se non accedere ad eos consolandi
gratiâ, quorum & amicitiam a Rege
suo plurimi fieri, & virtutem æsti-
mare intelligeret; e cuius virtutis,
regiaeque benevolentiae magnitudine,
& vi peterent ipsi eam consolationem,
quam nemo aliis adhibere majorem
posset, quæque forti, & constanti
Senatu digna esset, suscepimusque ex
unius mortalis obitu mærorem libera-
tæ patriæ gloriâ, Regisque maximi,
atque optimi amicitiâ mitigarent. Con-
firmato Senatu, Concilium habetur
Majus, in quo cum ex S. C. verba
Dux fecisset, ut mortuo Bouflertio
honos haberetur, de eâ re ita Patres
censuerunt: Cum Dux Bouflertius dif-
ficillimis temporibus missus a Rege
Galliæ ad Rempublicam Legatus fue-
rit, in eâque legatione virtute, im-
perio, liberalitate, maximo usui Rei-
publi-

LIBER TERTIUS. 101
publicæ fuerit, cum talis Vir in eâ-
dem legatione mortem obierit, Patri-
bus placere, Dux Bouflertii, liberos,
posterosque honoris ergo Cives esse no-
biles Genuenses; itemque iis (quod
honoris genus ante id tempus nemini
tributum erat) Bouflertiæ gentis insi-
gni Republicæ insigne apponere lice-
re. Ipsi Duci Bouflertio Senatus mo-
numentum decreverat marmoreum cum
inscriptione præclarâ, quæ virtutem
illius, & gratum amplissimi ordinis
animum declararet. Liberatæ Genuæ
nuncium, qui sociis, amicisque Regi-
bus apportarent, Marcellus Duratius in
castra Regis Galliæ apud Belgas,
Hieronymus Balbus in Hispaniam ex
S. C. mittuntur, Laurentioque Im-
periali, qui Neapoli erat, mandatum
est, ut eam rem Carolo Regi renun-
ciaret, per eosdemque Legatos gratiæ
Regi-

102 DE BELLO ITALICO,

Regibus actæ sunt, quod in maximo
discrimine Rempublicam adjuvissent.

Interim in locum Taubenii substitutus a Minensi Augustinus Ahumada castrorum Præfectus, & missus a Bellinsulanu, qui, mortuo Bouflerio, toti exercitui præsesset Marchio Bissensis Galici equitatus Præfectus Genuam pervenerant. At Bellinsulanu, & Minensis, cognito Austriacorum ab Urbe Genuâ discessu, de reliquo bello consultabant; magnaque inter eos extitit controversia. Nam Minensis pergendum porro, &, dum hostes trepidarent, arcem esse expugnandam Savonensem arbitrabatur, quod, eā expugnatā, & confirmatis Genuensibus, facile omnia patere consideret, neque aliā ratione in Cisalpinam Galliam bellum transferendum crederet, atque antea a Philippo Fer-

dinandi

LIBER TERTIUS.

103

dinandi Regis Fr. translatum fuerat. Contraria Bellinsulanus, & illius expeditionis infelicem detestabatur extum, & per Cottias Alpes multò faciliore in Taurinos itinere perveniri posse censebat: habere se ab exploratoribus compertum ajebat, eam partem negligenter ab hoste servari, quod nimium naturā loci consideret: itaque audendum potius, quod neglectum ab hoste facilem habeat victoriam, quam quod prævisum difficultatem augeat vincendi: refractis autem Alpium claustris, eo Regem Sardiniae necessariò descensurum, ut pacem ultrò petat, eoque pacato, quod reliquum Austriacis in Italiam præsidium? quam spem? Hæc propalam dicebat: illa tacita suberata cura, ut Equiti Bellinsulanu Fratri, cuius ea res imperio permittebatur, occasio da-
retur

retur fortis alicujus , & memorabilis facinoris , dignusque propterea Galliæ militiæ Magisterio haberetur apud Regem : Fratrem Bellinsulanus amabat unicè , ejusque in maximis rebus consilio , atque auctoritate semper utebatur , & Magisterii a Fratre honorem summè sciebat expeti . His de causis cum suæ Bellinsulanus sententiæ insisteret , neque a suâ Hispanus Minensis removeri posset , ad suum quisque Regem ejus negotii arbitrium rejicit . Quid Reges responderint , non sanè constat ; in suo uterque certè imperator consilio perseveravit , & quâdam fatali ducum dissensione eo quoque anno factum est , ut res jacerent Borboniorum , & Galli etiam cladem acciperent insignem . Nam Bellinsulanus , arce permunitâ Albintemelii , in Nicæensem agrum reduxerat exercitum ,

ut eas

ut eas copias distineret , quas in Salutiis Sardiniae Rex habebat , magnaue intenim Equiti Fratri auxilia submiserat . Quibus ille fretus , alpibus superatis Cottiis , ad munitiones , quas in Assietensi colle Subalpini fecerant , converso repente agmine , profectus est . Erant , inductis auxiliis Austriacorum , quæ pridie venerant , frequentiores hostes in munitionibus , omniaque ad repugnandum paraverant . Difficillimus erat , & munitissimus naturâ , manuque locus . Explorata hæc eadem Equiti Bellinsulano erant , sed tantam habebat suarum rerum fiduciam , eaque effrebat cupiditate vincendi , ut nihil virtuti suæ arduum , nihil difficile existimaret . Itaque in locum progressi iniquum non dubitat , commissoque prælio , in hostium munitiones irrumperè conatur , Gallique milites , quo-

rum in primo impetu ferocitatis opinio est singularis, audacissimè succedunt. Sed nullus virtuti locus relinquebatur in tantâ loci iniquitate, & cum undique ex superiore loco telis, jaculisque obruerentur, acervatim cædebant milites, ducesque; fædiissimaque fiebat cædes. Ibi Eques Bellinsulanus, cum neque pugnantes horlando sustinere, neque fugientes castigando revocare posset, signifero cuidam signo detraecto in primam aciem processit, superatoque aggere, in ipsâ hostium munitione summâ signum defixit, videbaturque incredibili audaciâ prælium restituturus, nisi fortissimè pugnans interfactus esset gloriosâ magis morte occumbens, quam, quæ prudentem deceret ducem. Sic magnâ Gallorum parte interfactâ, reliquis fugatis, atrocissimam nox pugnam diremit.

remit. Tanto Dux Bellinsulanus publico, privatoque luctu perculsus tum demum Minensis imperatoris Hispani accedebat sententiæ, ut Savonem versus exercitus adducerentur. At Minensis, quod primùm, repugnante Bellinsulanico, vehementer suaserat; post, concedente, perficere noluit amissam querens occasionem; ut esse contentionis, quam victorïe cupidior videatur. Itaque non jam ut aliquid acquirerent, prælioque hostes laceſſerent, sed ut repugnarent, &, locis munitis opportunis, Nicæensem in primis agrum tenere possent, Borbonii cogitabant.

At Regi Sardiniae multa de bello cogitanti, cognitis his rebus, subiit animum impetus in Galliam iterum Narbonensem invadendi. Itaque suis Austriacorumque copiis contractis, & consilio cum Brounio communicato,

qui Mediolano profectus Augustam per eos dies Taurinorum venerat, Austriacos Brigantium versus eruptionem facere jubet, ipse per Sturam vallem eodem erumpere conatur non spe quidem, quæ vana toties fuerat, Galliæ obtinendæ Narbonensis, sed consilio avertendi Bellinsulanum ab agro Nicæensi, quem agrum Borboniorum præsidio nudatum Leutronius occuparet. Sed consilium quoque ejusmodi frustrâ Austriacis, Regique Sardiniæ fuit, qui, levibus aliquot factis præliis, rejeti, vexatique in Subalpinos, Galliamque Cisalpinam redierunt: & Bellinsulanus Austriacorum comminatione adeo permotus non est, ut cohortibus xx. deductis e Galliâ Narbonensi, quam satis loci naturâ, appropinquansque prægeliidus in Alpibus defendebat autumnus, suum in Italiam exercitum

auge-

augeret, Leutronioque depulso, qui arcem Albintemelii circumvallaverat, commeatum in arcem importavit. Quo facto, deductis paulò maturiùs, quam tempus anni postulabat, in Galliam Narbonensem in hiberna exercitibus, & cohortibus xxx. præsidio Nicææ, Villæque Francæ relictis, Bellinsulanus Lutetiam, Minensis Matritum revertitur, & Philippus Ferdinandi Regis Fr. Civaronem, Dux Mutinensium Venetias profectus est: multisque de pace sermo esse cœpit, quam Britanni, Gallique potissimum, colloquio primùm Bredæ, deinde Aquisgrani habito, conciliare studebant.

At Genuæ Marchio Bissiensis, cum Urbem ex diurnâ obsidione multarum rerum necesse esset inopiâ laborare, partis ex hostico prædis, eam recreare, & militum etiam, Ligurumque

110 DE BELLO ITALICO,

gurumque animos belli præmiis confirmare constituit. Itaque satis exploratis rebus, cum magnâ Ligurum, & Legionariorum manu Chovelenium, Belloesiumque bipartito in expeditiōnem misit. Chovelenius in Montemferratum, transgressus Apenninum, Belloesius ex Apuanis montibus descendens in Parmensem agrum irrumperet, uterque prædas ageret, &, si quid loci, & temporis opportunitate proficere posset, ne omitteret imperatum est. Nadastium interim, qui circa Gavium, Octaviumque esse consueverat, & progredientem demorari Chovelenium poterat, Montecunius de exercitu Gallico Trib. mil. distineret. Montecunius modò procurrens, modò recedens Nadastium semper, itaque habuit occupatum, ut averteret hominem ab inferendâ rebus morâ, quæ gere-

LIBER TERTIUS.

111

gerebantur. At primò Belloesium Bisensis, post Montelium, qui Belloesio successerat, effusè prædantium negligentiâ ab incæpto retraxit. Tantâ autem locorum ignorantia peccatum est, ut maxima militum pars divisa, interclusaque in potestatem agrestium veniret, qui vim, armis arreptis, prohibere cœperant. Chovelenium, cum primo impetu Saxellum, qui locus abest a Vulture oppido xx. millia passuum, captis præsidiariis nonnullis, reliquis in fugam conjectis occupasset, & satis opimâ abactâ prædâ, longius progrederetur, ejusmodi repente adortæ sunt tempestates, ut apud timidum vulgus prodigii loco haberentur. Nam plures de cœlo tati homines, evulsæ radicitùs arbores, decussa tecta dicebantur, & continua tione imbrium adeò flumina creverant,

rant, ut omnino transiri non posse. Itaque intermisso itinere, infestaque re Chovelenius quoquè Genuam sese recipere coactus est.

Quæ cum essent acta, Genuam venit Dux Riceliensis Gallici exercitus in Belgio Legatus, magnamque sui expectationem concitavit tantâ Vir nobilitate, atque apud Regem gratiâ. Honorificentissimè exceptus Senatum statim adiit, itaque eum est allocutus, ut inteligerent Genuenses, incolumentatem eorum Galliæ Regi magnæ curæ esse, seque ipse diceret, eandem erga eos fidem, diligentiamque laboraturum, ut præstaret, quam Bouflertius præstisset, cui succedebat, & quem triste sui apud illos desiderium reliquisse cognoverat. Dux cum responderet, Galliæ Regi maximas, uti par erat, deinde etiam Legato gratias

tias egit, quod permagnum sibi, Senatuique, & perhonorificum videbatur, potentissimo Regi tantæ curæ esse salutem Reipublicæ, ut Legatum ad eam mitteret clarissimum hominem, & quem sibi charissimum haberet. Quibus rebus confectis, ad belli cogitationem sese Riceliensis recepit, eaque maxime loca, unde in Bisamnatem vallem Austriaci irruperant, recenti casu admonitus diligentissimè muniri jussit.

Campus, quem Frigidum vocant, vicus est, qui a Monteferrato venientibus in finibus occurrit Reipublicæ Genuensis. Campenses, cum se prædæ Austriacorum comites esse mallent, quām socios Genuensium in rebus adversis, magno erant hostibus usui ad exploranda itinera, prædamque tollendam. Hoc priùs hostibus præsidium,

quām quicquam tentaret, detrahere Riceliensis constituit. Sed hunc ii locum egregiè muniverant, duabusque cohortibus tenebant, adeo ut, & naturā montium, quibus undique continebatur, & opere, defensorumque copiā firmissimus haberetur. At Riceliensis exploratoribus, perfugisque credens, qui aliter renunciabant, in spem venerat potiundi loci. Itaque sub adventum statim suum mittit eō Hispanorum, Gallorumque millia vii. Ipse ad Marcaroli (ita enim vocant) mapalia progressus Nadastium tenebat, quin subsidio suis iret. Sed cum primum ejus agmen concisum, rejectumque ab Austriacis esset, & Nadastius, majoribus ex Cifalpinâ Galliâ coactis copiis, non minimum terrorem inferret, simul perspecta melius ex propinquō loca ardua maximē viderentur, nul-

lumque ferè tormentis ad oppugnationem necessariis aditum darent, tum autem tempus anni subesset nimis in montibus horridum, atque asperum, non tanti esse duxit Riceliensis vicum illum obtainere, ut in ipso imperii sui initio magnum aliquod detrimentum propter iniquitatem loci, temporisque exercitus acciperet. Itaque Campi Frigidi oppugnatione dimissā, Genuam revertitur.

Per idem fermè tempus gravissimo Genuensibus bello intentis nuntiatum est, rates quasdam Ligusticas captas a Britannis esse ad Viaregium, qui locus Lucensium est, egregiusque ad tenendas anchoras habetur. Rates, cum Britannorum aphractos insequentes fugerent, partim in Viaregii secessationem contulerunt, atque ad Turrim, quæ ibi est, refugerunt, partim

cursu suo longius decessere, quam ut protegi a Turri possent. Navicularii autem Ligures ii, qui longius a Turri cursum tenuerant, in terram cum armis egressi, tametsi pauci essent, tamen Britannos arcebant jaculis, ratesque tutabantur, quas fluctuantes in salo reliquerant. Britanni, cum ipsi quoque in terram exissent ardore proiecti pugnandi, repulsis naviculariis, duobusque desideratis classiariis, remulco rates abduxerunt. Illi interim, quos primò ad Turrim refugisse diximus, subsidio suis, quod natura fert, ire parabant. At prohibuit, qui ad custodiam Turris Lucensium nomine praeerat. Nefas enim esse duxit sub oculis suis erumpere Ligures ad alienam perniciem, neque e Republicâ suâ esse judicavit causam offendionis Britannis dari, qui potentiores

res erant, benignèque cum eâ agere dicebantur. At Navicularii, ejusmodi prudentiae rationes, qui non satis intelligerent, & defensionis se jure spoliatos quererentur, palam, adeoque graviterque Lucenses accusarunt, ut hominum querelas non negligendas videri Senatus Genuensis censeret. Lucenses cum Genuensium immutatam ex eo voluntatem accepissent, doluisserntque, ne hâc de causâ quicquam de veteri illâ detraheretur coniunctione, atque amicitia, quam summo semper studio coluerant, Joannem Sardinum miserunt civem suum, qui ea diceret, quæ ad controversiam componendam, placandosque Genuensium animos pertinere arbitraretur. Quibus Genuenses auditis & Riceliensis commoti officio, qui Lucenses etiam, atque etiam Senatui commendaverat,

vetu-

vetutissimam non abrumpendam esse amicitiam existimarunt; cum præsertim Lucenses, nequid postea tale contingere, Viaregium intentiore custodiâ, additâ militum manu, servaturos se esse pollicerentur.

Nondum erat hyems confecta, & studio ardentes ulciscendi, nihil prioris obsidionis deterriti exitu ad oppugnandam reverti Genuam Austriaci constituerant. Quin etiam proximæ obsidionis eventu multis de rebus admonebantur, quæ facilem redderent insequentem, & tantæ erat terrestri, maritimæque opportunitatis Urbs Genua, ut eâ relictâ, corrovere omnis Italici belli ratio videretur. Primùm erat eorum consilium Delphini, Lunæque portibus potiri. Quibus in potestatem redactis, adjuvantibusque Britannis, & ipsi omnibus abundarent

darent rebus, & nullus toto mari Genuensibus egressus, nullaque propter eâ spes commeatus relinqueretur. Ipsa autem defensorum multitudo, quæ Borboniorum confluentibus auxiliis admodum creverat, si commeatus deficeret, famesque urgeret, exitio potius, quam præsidio futura Civitati videbatur. Itaque Brounio peritissimo imperatore, magnis circum Mutinam, Parmamque contractis copiis, magnis item constitutis horreis, in eam Ligustici litoris partem, quæ ad orientem spectat, per Apuanos montes quamprimum descendere cogitabant; confessimque descendissent, nisi eos gravis adhuc hyems, durissimæque propter jumentorum penuriam necessarium rerum subvectiones detinuissent.

At Borbonii, & Genuenses, qui Petrum-Franciscum Grimaldum summo cum

120 DE BELLO ITALICO;

mo cum imperio in eas partes miserant, aliosque ei nobiles adjunxerant, de Austriacorum consiliis certiores facti, permunitis Suburbanis, arcem Delphiniam, arcem item Marianam, quæ in promontorio quodam portus Lunensis posita unum a terrâ, eumque per angustum aditum habet, Spediam præterea, Erycem, ipsiusque Lunensis portus fauces, insulasque, multis effectis operibus, collocatisque tormentis instruxerant; Sergianensem provinciam confirmaverant; arcem, oppidum muniverant: Laventiam, Massam, Carrariam, quæ pacati erant, quietique Principis loca, jure belli occupaverant, ne facultatem darent hostibus propriis accedendi: Apuanorum montium angustias obsederant, valida ubique præsidia imposuerant: castra ad Sekestam Tigulliorum, Clavarum-

LIBER TERTIUS.

121

varumque fecerant, seque ad defensionem omnibus rebus paraverant. Interim Riceliensis per Roccæpinum nonnullis terrâ, marique submissis centuriis, Subalpinos Varagini cccc. incuriosius agentes opresserat; perque Marchionem Montium Gallici exercitus Decurionem magnâ cæde Nadastium Vulturem occupare conantem repulerat; ipse ad concilium magni momenti animum adjecerat, ut Savonem repentino incursu occuparet.

Urbs est ad mare Savo ab Genâ longè occidentem versus millia passuum xxx., mœnibus, portuque succincta, duobus prominentibus lateribus, introrsùs retracto. Arcem habet inter occasum, & meridiem satis munitam, quæ tota ex saxo multis operibus extorta, præruptaque scopuli dorso imposita ferè undique alluitur mari, al-

Pars II.

Q tâque

122 DE BELLO ITALICO,

tâque ab urbe fossâ disjuncta, versatiili rursus ponte adjungitur. Ultra Savonem ad occidentem millia circiter passuum iv. Vadum est Sabatum, statioque navibus, projecto monte, tutissima, in eâque anchoras jecerat Britannica classis. In portu Savonen-si triremes erant ii. Sardiniae Regis, erant in Urbe horrea constituta, erant arma, tela, commeatus omnis generis. Quæ omnia demere hostibus Riceliensis cupiebat, videbatque, Savone receptâ, neque Britannis locum esse in Vado consistendi, & omnem eam Borboniis, ac Genuensibus patere oram, quæ ad flumen Varum protenditur. Urbem, atque arcem Comes Roccæsius tenebat præsidio non satis firmo Subalpinorum, paucissimique ex his excubare in arce consueverant. Savonenses Genuensi assueti impe-

LIBER TERTIUS.

123

imperio præsentes oderant dominos, & nonnullis erat acerbè nimis a Subalpinis militari licentiâ imperitatum. Præterea occulti a Savone nuncii Genuam venerant, qui cum multa alia, tûm, quâ Urbs ad mare vergit, locum esse in mœnibus aptum insidiis renunciaverant, propterea quod rimas murus egerat, laxarique adeo poterat, ut daret introeuntibus aditum, ibique fortè hedera inter saxa coaluerat, quæ multis opaca frondibus locum, dolumque occuleret.

Quibus Riceliensis cognitis, cohortes aliquot militum è noctu mari mittere constituerat, quorum alii ab alterâ Urbis parte mœnia ex ascensu tentare simularent, Subalpinosque distinerent, alii per diductam muri partem silentio intromissi opportuna Urbis loca improvisò occuparent. Ne-

Pars II.

Q ij que

que dubitabat, quin repentino op-
pressis incursu Subalpinis, adjuvantibus,
recipientibusque Savonensibus,
inter tumultum captæ Urbis, nocturnæque
concursionis fremitum arx ipsa vel dolo, vel errore aliquo in tan-
tâ defensorum paucitate capi facile
posset. Itaque locum, tempus, si-
gnum constituit, nunciosque præmiis,
pollicitationibusque incitatos Savonem
remittit: ipse ut ab eo, quod para-
bat, in alterius rei curam converteret
hostium animos, Segestam Tigullio-
rum proficiscitur, eoque velut con-
venturos paratos esse milites jubet.
Multus erat in consilio cum Ahumadâ,
agebat, loquebatur omnia, quæ
ad arcendos ab eâ parte hostes perti-
nere videbantur. Cum repente magi-
stris imperat navium, ut primo ve-
spere scaphas, atque onerarias Genuæ
ad por-

ad portum appulsas habeant, quot sa-
tis esse ad tria millia fermè armato-
rum transportanda existimarent, Ducique
Aginnensium, quem summæ rei præ-
fecerat, quid fieri velit, ostendit, in-
primisque monet, ut celeritatem adhi-
beat, noctuabundusque Savonem per-
veniat. Chovelenium interim Vultu-
rem præmiserat, qui per causam in-
spiciundi exercitus copias contraheret:
ipse eodem paulò post advolarat, &
cum cohortibus vii., quas Chovelenius
contraxerat, Savonem terrâ progredie-
batur. Ahumada cum reliquo exer-
citatu subsequebatur, relicts, qui mon-
tium juga tuerentur, hostemque levi-
bus præliis laceffendo detinerent. Sum-
ma erat maris tranquillitas, cœlique,
appropinquante nocte, serenitas. Sed
cum esset ab iis, qui naves cogebant,
paulò tardius res administrata,
factum

factum est magnâ totius negotii perturbatione, ut, qui primâ vigiliâ milites solvere debebant, secundâ naves conscenderent. Interim, tempore commutato, fluctibus dubiis volvi, cœptum est mare, imberque accidit navigantibus gravis. Seriùs his de causis confecto Dux Aginnensium cursu, ortâ jam luce, Savonem conspexit. Itaque, patefactis insidiis, paululum regressus vi apertâ propalam uti non dubitavit, atque inter Cellem, Albitoli amque exlensione factâ (quæ loca non longè ab Savone absunt) Urbi colles imminentes occupat, horreisque, quæ ad Urbem erant, incensis, ipsam circumvallare Savonem instituit. At Riceliensis cum id, quod prudenter cogitaverat, male cecidisse videret, & vim tentare periculosum duceret, Genuam sese recipere statuit,
idem-

idemque uti faceret, Duci Aginnen-sium imperavit. Subalpini cum in neminem quempiam insidiarum cul-pam conferre, cognitâ causâ, possent, & tamen insidias factas suspicarentur, omnibus irati Savonensibus, eos, im-peratis pecuniis, principibusque in cu-stodiā conjectis, durissimè habue-runt; ut, quoniam amari non poter-ant, quod multò est in imperio fir-mius, timerentur.

Erant interim in agro Nicæensi a Borboniis levia quædam, eaque se-cunda facta prælia, ad exercitumque Belliñsulanus, & Minensis redierant; Leutronius autem suis se locis tenebat. At Brounius, ut jam medium veris erat, in Tari valle contracto exercitu, omnibusque comparatis rebus, cognitâ locorum naturâ, minis, pollicitatio-nibusque variè, frustrâque tentatis Li-gurum

128 DE BELLO ITALICO,

gurum animis, tripli denique instructâ acie, Genuensium finibus appropinquabat. Erant armatorum xl. circiter millia; numero præstabant; & tot exercitati præliis virtute valebant. Primo præerat agmini Maguirejus, per ipsosque Apuanos montes iter faciebat. Dextrâ montem Boccum occupare Andræsius, sinistrâ montem item Furtianum tenere Harchesius iussus erat. Alterum ducebat agmen Marchio Clericius, cui mandatum erat, ut eodem tempore Apuâ movens ad portum descenderet Lunensem: & quiâ ad omnia tuenda non satis esse Borbonii, & Genuenses poterant, cum tanta undique irrumperet hostium multitudo, & totius servandi causâ partem negligere videbantur, erat Nadastio imperatum, ut per occasionem Ligusticas superaret fauces, in Porciferamque

LIBER TERTIUS. 129

que vallem decurreret. Maguirejus primo aspectu perterritis Borboniis, Liguribusque, qui, relicta Apuanorum montium jugis, ad Oxarium montem subitâ se fugâ receperunt, Baretiūm pervenit; indèque progressus, vastatis longè latèque, atque incensis omnibus, magnum ubique terrorem intulit. Marchio interim Clericius, oppido capto Bruneto, regionem, quæ trans flumen Boactum ad portum pertinet Lunensem, occupaverat omnem.

Eodem impetu per iniqua progressus loca, fugatis Hispanis, montem Boccum, & Margaritæ fanum tenuerat Andræsius, quem procedentem intollerantiùs, neque dubitantem, quin, si mare nanciseretur, omni Borbonios receptu intercluderet; Marchio primùm Mojensis Hispani exer-

Pars II.

R. citus

130 DE BELLO ITALICO,

citus decurio tardavit, tum tantâ in hostes vi irrupit, ut cccc. interfectis, victores terga vertere Austriacos cogeret, statimque Margaritæ fanum recipere, & Boccum etiam, profligato Andræasio, receperisset, nisi mandatum ei repente ab Ahumadâ fuisset, ut ab insequendis, lacefendisque hostibus omnino abstineret. Certi enim de pace nuncii venerant. At Nadaстius Ligusticas improvisò fauces transgressus Petram Lavetiaram, Langensiumque pagum occupaverat. Sed Genuensium centuriæ aliquot cum subito apparuissent, impetu facto, celeriter Austriacos perturbaverunt, atque ita perterritos egerunt, ut non prius fugâ defisterent, quâm in conspectu Octavii vici trans Ligusticas fauces venissent. Itavario pugnabatur marte, erantque omnium intenti animi in ejus bellum casum.

LIBER TERTIUS.

131
casum, in quo non solum Urbs Genua præmium erat futura victoris, sed etiam de Italix, atque Europæ forsitan totius statu decertatum fuisset. Tantæ dimicationem rei pacis repente sustulit nuncius.

Habito, ut diximus, Aquisgrani colloquio, inter Britannos, & Gallos conditions convenere, quæ non sunt, præterquam quæ ad Italianam pertinent, memoriæ nobis quidem prodendæ.

Batavi primùm trepidi rerum suarum, reliqui deinde omnes auctorati paruerunt eorum, qui necessitatibus videbantur. Nam Galli victores foris, inopiâ domi dicebantur premi maxime rei frumentariæ, maritimâque neglectâ re, florentes in Americâ provincias retinere non posse. Britanni, alieno impedito, commer-

Pars II.

Rij cium

132 DE BELLO ITALICO,

cum imminuerant suum, sumptibusque terrâ marique ingentibus factis, grande conflaverant æs alienum. Illud etiam satis constat cunctis Gallis, qui ut belli periculis non deterrentur, ita diuturnitate franguntur, proclives fuisse ad otium animos, atque ex tanto tandem bello patriæ delicias respicere cœpisse; & Regem ipsum in medio rerum cursu, rara inter regnantes moderatione, victoriæ temperasse suæ, ut communi saluti consuleret, coquæ fuit ejus mirabilior moderatio, quo tot expugnatis in Belgio arcibus, perterritis Batavis, invicto exercitu, quæcumque alibi accepisset bello damna, sarcire facile posse videbatur, & peritissimi erant duces, qui victoriâ uti suaderent. At Rex quietam Europam, quam suam maluit, effecitque, ut in Aquisgranensi

LIBER TERTIUS.

133

nensi colloquio repentina firmaretur pax, neque iis reverâ utilis, qui fecerant, neque iis, qui acceperant magis, quam probarant. Illi nihil in pace retinebant eorum, quæ maximis factis jacturis, aditisque periculis bello cæperant, his necessitas imposta pacis accipiendæ omnem repente abruperat melioris spem fortunæ. Accisæ quidem omnium fortunæ, non tamen placata odia, neque, cum vires redierint, sublatæ novarum causæ dissensionum. Nisi forte hæc est rerum humanarum instabilis conditio, ut paci bellum, bello pax varietate perpetuâ succedat, & quam hominum consiliis rerum mutabilitatem assignamus, universæ potius naturæ, æternarumque nexui causarum tribuenda est. Fuere ad Aquisgranense colloquium eorum Legati Principum adhi-

134 DE BELLO ITALICO.

adhibiti, qui bellum gesserant; Legati que fuerunt Britanniæ Regis Comes Sanduicensis, & Eques Robinsonius; Regis Galliæ Comes Sanseverinas Aragonius Placentinus, & Eques Portensis; Reginæ Ungariæ Comes Caunitius; Regis Hispaniæ Massonius Limensis; Regis Sardiniæ Comes Cavanensis; Batavorum Comes Bentinchius, aliquique cum eo iv. Batavorum item Legati; Reipublicæ Genuensis Franciscus Auria, quem ex S. C. in Britanniam missum Lutetiæ remansisse diximus; & Ducas Mutinensis Comes Monsonius Legatus fuit. Fuere item alii ab aliis missi Principibus privati homines, qui, quid ageretur, explorarent, & tanquam ad aquas valeditudinis causâ venissent, Aquisgrani obversarentur. Rex Neapolis neminem publicè misit, ne repudia-

LIBER TERTIUS.

135

pudiare quædam in eo concilio, aut approbare videretur, quæ noluisset. Postulabat Reginæ Ungariæ Legatus, ut ne Ducas Mutinensis, Reique publicæ Genuensis Legati ad id colloquium adhiberentur, propterea quod eorum essent Legati Principum, qui alieno bellassent nomine: itemque postulabat, ut ne Vormaciensis fœderis sublatâ causâ, vis maneret, in eoque tantum maneret, quod Reginæ oberat. Nam Placentia, quæ Philippo Hispani Regis Fr. contribuebatur, & Finario, quod Genuensibus restituebatur, nominatim exceptis, de reliquis omnibus, quæ Reginæ Ungariæ fuissent, atque erant ex Vormaciensi fœdere Sardiniæ Regi attributa, eidem in Aquisgranensi colloquio diligenter cavebatur. Id, quod contrâ omnem pactorum, conventorumque fieri:

136 DE BELLO ITALICO,

fieri rationem Caunitius dicebat. Etiam Pontifex Maximus per Canonicum quendam Leodiensem vetustum illud suum in Parmam, Placentiamque Urbes jus interponebat. Erat præterea inter Auriam, Monsoniumque de suorum Principum dignitate orta contentio, qui primus, qui secundus in exscribendo foedere nominari deberet. Sed non placuit pacem omnium, ut dicebatur, bono partam contentionibus nonnullorum perturbari; &, compositis Britannorum, Gallorumque rebus, reclamare cæteri, non repugnare poterant.

His in Aquisgranensi colloquio actis, aliud Nicææ colloquium inditum est, in quo de Italicâ firmandâ pace agebatur: apudque Brounum, & Ricelensem, his rebus cognitis, itemque apud Bellinsulanum, Minensem

LIBER TERTIUS.

137

sem, & Leutronium constitutæ sunt induciæ, quarum quoad exisset dies, perfectave essent ad pacem omnia, suis se quisque locis contineret, neve alter alteri nocere posset. His stare induciis Britanni noluerunt, propterea quod pactas priùs fuisse dicerent, quam Hispanos, & Genuenses cum reliquis de Aquisgranensi pace consensisse ipsi cognoscerent. Quod ubi a Britannis cognitum est, mare etiam a belli impetu cessavit, Britannicæque classis Praefectus Navarchum Genuâ misit, qui ejus rei nuncium Senatui perferret, &, quæ est Britannicæ gentis magnitudo animi, Genuensium, tametsi hostes fuissent; tamen virtutem, & constantiam admirari Praefectum diceret.

Interea Genuæ, pace partâ, gratiæ Superis agebantur, indictâ supplicatione, utque ea supplicatio quotan-

*Pars II.*S
nis iv.

138 DE BELLO ITALICO ,
nis iv. id. Decemb. , quo die liberata
ab Austriacis Urbs fuerat , ad Mariæ
in Oreginâ constitueretur , Senatus cen-
suit : Conciliumque Majus extrâ ordi-
nem coactum decrevit , utì Dux Ri-
celensis , liberi , posterique ejus , at-
que agnati Cives essent nobiles Ge-
nuenses , iisque gentis suæ insigni in-
signe apponere Reipublicæ liceret ,
utque Duci Riceliensi ex S. C. sta-
tua in Curiâ poneretur ex marmore :
itemque Ahumadam Hispaniensis exer-
citus Legatum liberos , posterosque
ejus Cives esse nobiles Genuenses ,
itemque Cives esse nobiles Genuenses
septem , qui populares erant honesto
loco nati , Joannem Baptystam Celestiam ,
Josephum Calvum , Josephum Aspla-
natum , Joannem-Baptistam Carrogium
Georgium Turrellum , Josephum La-
comarsinum , & Augustinum Majos-
lum ,

LIBER TERTIUS . 139
lum , quòd ii optimè fuerant de Re-
publicâ tempore difficillimo meriti ,
Patribus placere . Hi posteaquam con-
scripti Patres fuerunt , collatione gra-
tuitâ (nam more receptum est , si
quis inter Patres legatur , utì is aliquid
Duci muneric offerat) simulacrum ex
argento præclaro opere , & grandi
pondere , quod Mariam virginali ha-
bitu , atque vestitu referebat , Brigno-
lio Duci obtulerunt . Ille statim in
publicum contulit , in maximoque Ur-
bis-Templo affervari , atque in sup-
plicatione , quæ iv. id. Decemb. ha-
beretur , deferri quotannis jussit . At
Rex Galliæ Riceliensem , quòd egre-
giam Genuensi bello operam navaf-
set , Magistrum creavit Gallicæ militiæ .
Quo ille lætus honore , servatæque
Urbis Genuæ gloriâ clarus in Gal-
liam rediit .

Pars II.

Sij

Indi-

Indicto Nicææ colloquio conve-
nerunt eò statim Brounius, Bellinsu-
lanus, & Minensis, Regis autem Sar-
diniæ nomine Comes Breliensis, at-
que a Republicâ Genuensi missi Con-
stantinus Pinellius, & Hieronymus
Curlus, a Duceque Mutinensium
Comes Sabbatinius, qui de Italicâ
firmandâ pace agerent iis conditioni-
bus, quæ erant jam in Aquisgranensi
colloquio constitutæ, quarum hæc
erat summa: Omnia Sardiniæ Rex ha-
beret, & quæ ante bellum habuisset,
& quæ ex Vormaciensi foedere rece-
pisset, exceptâ nominatim Placentiâ,
eiusque Urbis agro. Parma, Placentia,
Guardistallum, earumque urbium agri
Philippo Ferdinandi Hispani Regis Fr.
attribuerentur, liberis, posterisque ejus
virilis sexus; eâ tamen lege, si Caro-
lus Neapolis, & Siciliæ Rex Philippi,

Fer-

Ferdinandique Fr. in Hispaniam trans-
eat, ut regnet in eâ, & si Philippo
Ferdinnadi Hispani Regis Fr. liberi,
posteriorque nulli fuerint virilis sexus,
tum uti Placentia, ejusque urbis ager
ad Regem Sardiniæ, Parma, Guardi-
stallum, earumque urbium agri ad Re-
ginam Ungariæ eodem jure redeant,
quo jure cujusque eorum antea fue-
rint.

Dux Mutinensium, & Respublica
Genuensis restituerentur in integrum.
Quæ privatim a Genuensibus bona in
regno Reginæ Ungariæ, quæ item a
Duce Mutinensium possessa essent, Re-
ginaque Ungariæ jure belli publica-
set, ea dominis omnia rectè redderen-
tur: Dux Mutinensium, si pro iis pe-
cuniam accipere velit, æstimatione in-
trâ quadragesimum diem factâ, acci-
piet. Hæc ferè, quæ ad Italianam per-
tine-

142 DE BELLO ITALICO,

tinerent, Aquisgrani constituta sunt, & Nicæa cautum est in colloquio, ut ad certam diem perficerentur, utque ad certam item diem ex iis locis, quæ quisque occupasset, præsidia deducerentur omnia; Captivi utrinque, factâ permutatione, restituerentur, & nominatim nobiles Cives Genuenses, itemque obsides remitterentur. Sed cum de bonis a Reginâ Ungariæ publicatis controversia esset illata, caput illud Austriaci infirmare conabantur, aut malignius interpretando, aut in aliud tempus rei cognitionem differendo. Contrà, ut statim decerneretur, & ab eo, quod erat in Aquisgranensi colloquio de hujusmodi bonis sanctum, ne recederetur, Genuenses, & Ducis Mutinensium Legatus postulabant. Quâ de controversiâ Galliæ Rex certior factus, ne reliquo Belgio, Borboniorum præsidia

LIBER TERTIUS.


143

sidia deducerentur, imperavit; &, qui communis salutis causâ pacem fecerat, socrorum, & fidei gratiâ bellum renovare non dubitabat, in idque Britanni, & Batavi consentire videbantur. Quibus Regina Ungariæ rebus permota ab hujusmodi etiam postulatione destitit, sedatâque controversiâ, pax tandem omnium consensu firmata est.

Hunc habuit exitum Italicum bellum, de quo scribenti liceat, si verè, in extremo opere Italicorum Principum, qui bellum gesserunt, laudare virtutem. Nam Rex Neapolis, longè a finibus suis rejectis ad Velitras hostibus, egregii imperatoris, optimique Regis officio functus est. Sardiniae Rex in dubiis, gravibusque rebus solertiæ, & fortitudinis laudem tulit. Dux Mutinensium insigni ergâ Borbonios fide, animique in adversis

ma-

144 DE BELLO ITALICO,
magnitudine inclaruit. Genuenses de-
nique, recuperatâ, defensâque Patriâ;
satis magnificè ostenderunt, vetus il-
lud in Italiâ animorum robur sopiri
interdum temporibus, extingui nun-
quàm posse.



L I B. I.

ERRATA

Pag. lin.

- viii 15 *historia*
xiv 20 *excollendas*
13 10 loco ponere
27 18 observarentur
52 16 procerro
74 3 M CLXX VI.
85 7 constabundæ
94 21 formiditatis
122 17 ipſi loci

CORRIGE

- bistoriam*
excolendas.
loco poneret
obversarentur
pro certo
CLXX IV.
cunctabundæ
formidatis
ipſis loci

L I B. II.

- 23 9 abstereretur
79 3 interruſſent
104 16 amni

- abſtereretur
interruſſent
amnis

L. I. B. III.

<i>ERRATA</i>	<i>CORRIGE</i>
Pag. lin.	
2 16 diremere	dirimere
19 nequam	ne quām
4 2 natuæ	naturæ
7 5 Hyeronimum	Hieronymum
8 11 dissolvere	dissolvere
12 19 destrâ	dextrâ
17 15 gelluque	geluque
22 14 diruit	diruit
33 4 Castellâ	Castella
54 7 eo	eò
76 5 descripto	de scripto
78 21 ax	ex
93 12 dari	dare
99 20 qui	quæ
121 14 quo	quò

LIB. III. P. II.

6 1 costantia	constantia
11 17 fidei solertiæque,	fidei, solertiæque
21 5 tyramnidem	tyrannidem
23 21 rextinctus	restinctus
35 21 Ferritorque	Feritorque
40 12 Langentium	Langenſium
43 18 Spinulæ	Spinula
52 20 Stajene	Stajeno
118 14 terreftri,	terrestris,
121 10 concilium	consilium
134 19 valeditudinis	valetudinis